




# **Disserendi demonstrandiue ars ita iuriciuili adcommodata, ut & nihilominus sit studioru[m] generi usui futura**

<https://hdl.handle.net/1874/421185>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


LEOENDORFFIUM

Rhetorica

Legalis.


B. oct.

74











B. oct.  
74

N. 104 C



138074 1

# DISSE

RENDI DEMONSTRAN  
diue ars ita iuriciuili adcommodata,  
ut & nihilominus sit omni studiorū  
generi usui futura, per Christopho-  
rum HEGENDORPHINVM  
iam ita scripta, ut in tota rerum dispo-  
sitione atq; adeò uerbis cum  
priori æditione prorsus  
nihil conueniat.

*Edidit Buzelin*

BASILEAE EXCVDEBAT  
HENRICVS PETRVS,  
MENSE AVGVST.  

---

AN. M. D. XXXV.



W D I S S E

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

*Handwritten text in red ink, possibly a signature or date.*

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

# CHRISTO

PHORVS HEGENDORPHI  
nus Vinceslao Cubitensi ur  
bis Stasfurdianæ à  
libellis S. D. P.



VM dia  
lecticā  
legalē  
primū  
æderē,  
nullo a  
lio no  
mine eā  
ædebā,

quā ut illius artis in iure quoq; ci  
uili magnum usum extare ostende  
rem. Nam hætenus hoc sibi & ma

a 2 gni

## EPISTOLA

gni nominis iuriconsulti nostro seculo persuaserunt, dialecticarum præceptionum usum in iure civili nullū esse. Qui quamuis ueterum iuriconsultorum, quorum *scripta* in Pandectis extant, & quotidiano fori usu, in quo subinde ad dialecticæ præscripta lites exercentur, facile quàm turpiter errent, conuinci possunt, errorem tamen agnoscere nolūt. Ne autem hic error, ut fit, studiosorum iuris civilis animos hoc seculo etiam occuparet, paruo libello quantum commodi dialecticæ præceptiones iuriconsulto futuro adferāt, demonstrauī. Qui libellus meus prior, ut ex amicorum quorundam literis intellexi, à plerisque quibus nihil nisi quod  
ipsi

N V N C V P A T O R I A .

ipsi faciunt placet , & contemptus  
 & irrisus fuit . Irrisus quidem , quod  
 cum hoc tempore tot ferè extent  
 dialectica quot auditores sunt , ego  
 tamen etiam dialectica scribere insti-  
 tuerim . Nec irrisores isti animaduer-  
 tere uel præ malignitate uoluerunt ,  
 uel præ inuidia potuerunt , me in meis  
 dialecticis aliud spectasse nihil , quàm  
 ut usum dialecticarum præceptio-  
 num iuris ciuilis candidato ostende-  
 rem . Contemptus uero libellus me-  
 us fuit , quod nimis λακωνικῶς &  
 ieiune à me scriptus est . Quod au-  
 tem tam paucis in libello antehac à  
 me edito omnia tractaui , hac gratia  
 à me factum est , quod cum plurima  
 passim extent dialecticæ præcepta

## EPISTOLA

copiosissime tractata, ego me meo  
 officio functum esse putabam, si quā  
 possem paucissimis illorum præce-  
 ptorum usum aliquot exemplis è iu-  
 re ciuili petitis declararem. Quod si  
 lectionem ostentare uoluisssem ex  
 Bartholo, Baldo, Saliceto, & alijs  
 glossularijs quàm plurima ad nego-  
 cium meum pertinentia adferre, &  
 ex legibus exempla multo plura con-  
 gerere potuisssem. Sed quia *ὁ δὲ πῶς*  
*οἶν* tantum decreueram, ideo paucis  
 exemplis contentus fui. At uero  
 quando res ipsa quam in libello tra-  
 ctavi, non facile exornari potest, con-  
 tenta doceri, quid mirum, si ieiune  
 omnia à me tractata sunt. Ne autem  
 libellus ille, uel quia admodum esset  
 contra

N V N C V P A T O R I A .

contractus , uel quia adeo esset ie-  
iunus, à iuuentute cuius commodis  
consulere uoluimus adspernaretur,  
& usus dialecticæ in iure civili à ple-  
risque sero deprehenderetur, ipsum  
subincudem uocatum, cum alijs re-  
bus plurimis tum aliquot glossulario-  
rum scite dictis, quibus etiam diale-  
cticæ usus in iure civili ostendetur,  
& exemplis plurimis ex legum pe-  
nuario depromptis locupletauit. De-  
nique splendidius pleraque tractauit.  
Quem libellum iam à me locupleta-  
tum si iuuenes iuris civilis studiosi le-  
ctione dignabuntur, & leges non in-  
feliciter etiam sine illis *κατανοήσις*  
commentarijs intelligere cōdiscant,  
& ad forum etiam non sinistre arma-  
a 4 buntur.



## EPISTOLA

buntur. Etenim cum in hoc libello iuuenes uiderint, quàm diligenter iurisconsulti ueteres ad methodum dialecticam respexerint, cum iuuenes uiderint, quomodo argumenta in legibus aperiantur, & ita leges simplicissime & apertissime explicentur, non dubium est, quin his exemplis iuuenes commoniti, & ad eandem methodum leges relaturi, & argumenta legum simili cura obstinaturi sint. Quo fiet ut facilius leges intelligant, quàm si in illis glossarum scopulis hæreant. Non quod glossularios contemnam, sed quod illorum & modum esse uelim, & iuuenes in ipsis Pandectarum libris, quàm glossularijs uersari malim. Nam quod  
uulgo

N V N C V F A T O R I A .

uulgo clamitant sine glossographis  
 leges Pandectarum prorsus non in-  
 telligi posse, id quam prudenter di-  
 ctum sit, aliàs, Deo mihi uitā proro-  
 gante, ostendam. Enimuero quan-  
 do in hoc libello quisnam dialecticæ  
 totius usus in foro esse queat, diligen-  
 ter etiam atq; etiam demonstratur,  
 iuuenes ex hoc libello ad forenses  
 actiones bene agitandas non male  
 proludent. Ad hæc, libello hoc le-  
 cto, Topica Ciceronis minore ne-  
 gocio à iuuenibus intelligentur. Nō  
 igitur sine fructu libellus ille noster  
 à iuuenibus legetur. Sed ut ad te tan-  
 dem ueniam V I N C E S L A E,  
 libellum quidem priorem tibi cum  
 clarissimo uiro domino Petro Broc

## EPISTOLA

Kendorphio antehac optimarum artium magistro, nunc iuris utriusque doctore, compatre meo charissimo, communem esse uolui, sed iam autum tibi soli dedico, tum quod illum tibi magis quam cōpatri meo, qui hæc quæ hic trado melius quam unguis suos tenet, pdesse posse existimo, tum quod tātus tuus erga me amor est, tanta tua erga me merita sunt, ut ingratitude maculam efugere non possim, nisi tibi soli, libello dicato meum uicissim erga te animum declarem. Promeritus eras, ut te libello quodam præstantiore ornarem: sed cum, ut iam mecum agitur, talem, qualem meritus es in præsentia in promptu habere


NVNCPATORIA.


bere nequeam , hunc quem casus  
obtulit, boni æquiq; facias oro.

Bene uale mi VIN  
CESLAE.

FINIS.













# CHRISTO

PHORI HEGENDOR

phini in Dialecticam lega  
lem Præfatio.



**V**t iuuenes studiosi quibus in dialectica legali scribenda operam dabimus sciant & quod institutum sit nostrum, & quam dialectica iurisconsulto utilis iuxta necessaria existat, paucis præfari libet. Institutum nostrum est, quod iuuentuti demonstrare uolumus, quo nam pacto iurisconsultus futurus dialecticæ præceptis in sua professione permultum iuari queat, id quod hac ratione à me, deo coëptis nostris adspirante, fiet. Principio dialecticas præceptiones ex uetustissimis et optimis dialecticorum libris proponemus. Deinde exempla ex intimis legum civilium promptuarijs expromemus,  
**A** quibus

quibus præceptiones quæ per se obscuræ sunt illustrabimus. Postremo iuriconsultum futurum ad exempla similia & obseruanda & effingenda extimulabimus: Et ut multa in pauca conferā, hæc instituti nostri est summa, ut quidnam commodi dialectica iuriconsultis adportare possit ostendam. Etenim permultos iuriconsultos, & eos quidem præclaros in hanc sententiam descendere scio, quod dialectica iuriconsulto nihil commodare queat. Cum si rem introspicias, nulla ferè ars iuriconsulto & utilior & magis necessaria existat quàm dialectica. Nam an non subinde iuriconsulto siue in foro causas agat, siue priuatim cõsilijs iuuet homines, siue publice leges profiteatur et enucleet, res obscuræ & finiendæ & diuidendæ sunt? Quarum rerum si quis exempla requirat, pandectarum libros in manus sumat, in quibus est uidere ueteres iuriconsultos frequentissime & res obscuras finiuisse, & ambiguas diuisionibus explicasse. Legantur interpretes

pretes iuris ciuilis, in quibus ad tædiū  
usq; res iam finiuntur, iam diuisione ex  
tricantur. At magistra, finiendi & diui  
dendi res, est dialectica: Tum quando  
nulla est certior & dilucidior docendi  
ratio quàm dialectica. Methodus, qua  
rerum finitiones, causas, & fontes, offi  
cia, seu propria, ostendimus, iuriscōsul  
to dialectica ualde prodesse poterit, ut  
cui illa Methodo non raro in scholis  
utendum erit. Ad hæc quis ignorat iur  
risconsulto subinde plurimis in locis  
res & cōfirmandas & infirmādas esse.  
Acres confirmari & infirmari sine lo  
corum quos dialectica monstrat, exa  
cta cognitione non possunt, id quod  
uel unus Trebatius iuriscōsultus ar  
guit. quicum in Tusculano apud Ci  
ceronem uersaretur, & in Aristotelis  
Topica forte fortuna incidisset, edo  
ctus à Cicerone quidnam Aristoteles  
illis in libris traderet, ualde institit Cice  
roni ut quæ Aristoteles obscure de lo  
cis dialecticis scripsit, dilucidius expli  
caret, ratus id quod res erat, se citra lo  
corum

corum illorum cognitionē ægre rebus  
& probandis & improbandis iuriskon-  
sultum agere posse. Taceo hic quod  
& Baldus in l. conuenticula C. de sa-  
cro sanctis ecclesijs locos omnes diale-  
cticos accuratissime ostendit, quo de-  
clarauit iuriconsulto locos quos diale-  
ctica demonstrat ualde esse necessarios.  
Cur enim iuriconsultus tantus his de  
rebus tam diligenter præciperet, si non  
iuriscōsulto necessarias esse perspexis-  
set: Præterea dialectica iuriconsulto  
etiam hoc commodi adferet ut de argu-  
mentis quibus uel leges in pandectarū  
libris confirmantur, & quibus res suas  
aduersarius aliquis in foro corroborat  
iudicare possit, quàm firma, quàm bel-  
le coherētia sint, quàm apposite ad rem  
præsentem faciant. Nam dialectica, ut  
Cicero in partitionibus inquit, docet  
argumentationem ipsam concludere,  
quidq; ex ijs quæ sumpta sunt efficiat,  
docet & quæ aut male sumpta sunt aut  
male conclusa reprehendere, sed is qui  
commoda quæ ex dialectica iuricon-  
sulto

Sulto futuro puenire possunt scire uo-  
let,

*Lybici uolet æquoris idem*

*Discere quàm multæ zephyro turbentur arenæ*

*Aut ubi nauigijs uiolentior incidit curus,*

*Nosse, quot Ionij ueniant ad littora fluctus.*

Ego uero pauca quædam commo-  
da quæ iuriscōsulto futurus ex diale-  
cticæ præceptionibus capere potest o-  
stendî, ut & sententiam illorū, qui dia-  
lecticam iuriscōsulto nihil utilem esse  
prædicant refellerem & iuentutem iu-  
ris ciuilibus studiosam ad dialecticā, uel  
*ἀμφοῖν* amplexandam inflammarem.  
Alia commoda, quæ iuriscōsulto ex  
dialecticâ accedere possunt, inter tra-  
ctandas præceptiones, perspiciuntur.  
Iam ad ipsas præceptiones dialecticas  
ueniemus, uerum, quoniã omnis quæ  
de re aliqua instituitur disputatio, à fini-  
tione proficisci debet, ut quid sit id de  
quo agitur intelligatur, ut scribit Cice-  
ro in libro Officiorum primo, & con-  
firmat l. prima ff. si certum petatur, nos  
quid sit dialecticâ common-  
strabimus.

A 3

Diale

## DIALECTICA LEGALIS

à Christophoro Hegendor/  
phino congesta Lib. I.

Quid dialectica sit.



**D**IALECTICA, ut eā copiose ex Ciceronis sententia finia, est ars quæ docet diffinire & ambigua diuidere, argumentorū locos nosse, argumentationē ipsam concludere, uidere quæ sumenda sint in argumentando, quidq; ex ijs quæ sumpta sunt efficiatur, & uera à falsis diiudicare, & aut male sumpta aut male conclusa reprehendere, hactenus Ciceronis uerba retulimus, ē quibus ἐρωτάει, ut iurisconsulti uerbo utar, quid dialectica sit, & quid doceat, quæ eius sint officia, cognoscere potes. Debebam hic, quo finito illa dialectices uerbosa à iuuenib. recte intelligeretur, singulas eius partes excutere, & exemplis illustrare. Ve

rum

rum quando de illis non ita paulo post dicendi locus dabitur, hic nō est quod diu immorer. Quid dialectica sit opinor intelligit iuuenis, iā uenio ad eius etymologiam & diuisionem.

Vnde dicta sit dialectica, & quæ eius sit diuissio.

**D**ialectica, autore Suida, dicta est à *διαλέγεσθαι*. Porro *διαλέγεσθαι* eodem Suida autore, est mutuum colloquium exercere, quod sit partim interrogando, partim respondendo, & ut Suidæ uerbis utar *ἐρωτησῶ τε καὶ ἀποκρίσθαι*. Nam dialectica facit ut apte ad interrogata respondeamus, uerbi gratia si quis rogetur, quid sit nudum pactum, hic, ubi dialecticæ peritus est, nō respondet ut fieri ab imperitis solet, quod non pariat actionem; nam illud prorsus *ἀπερὸσδυσνόσασθαι* est, sed quod nullo rei interuentu confirmatur, ut ait notauit Accursius in l. si ut pponit C. de cond, ob can, non datam. Nam dia-



lecticæ peritus intelligit quaestionem, quid est de substantia & natura rei querere, non de qualitate, quæ per quaestionem quale sit explicatur.

Diuisio dialecticæ.

**F**Abius Quintilianus libro quinto Oratoriæ institutionum duas dialecticæ species, uel partes potius, recenset, quarum una uocatur, *τοπικὴ*, altera *λεξιτικὴ*. *τοπικὴ* dicitur quod dicitur rienti locos, id est, uniuersales quasdam propositiones subministrat, è quibus argumenta ad rem aliquam illustrandam, probandam, uel improbandam suppeditantur, & hæc dialecticæ pars thematibus simplicibus, id est, uocibus per se prolati imprimis seruit, uerbi gratia: Si disputatio incidat de obligationibus, dialectica *τοπικὴ* certos locos mihi demonstrat, è quibus materiam de obligationibus dicendi capere possum.

Quid

Quid sit obligatio.

Est autē obligatio iuris uinculum, 1  
quo necessitate astringimur ad aliquā  
rem soluendam pro reo, atque iura sta-  
tuunt §. primo ff. de obliga.

Quæ causa obligationis.

Est autem causa obligationis contra 2  
ctus, nam ex contractu oritur obliga-  
tio, ex obligatione actio, §. licet, ff. de  
procurato.

Diuisio obligationum.

Obligationum aliqua sunt ciuiles, 3  
aliquæ prætorix, &c. §. primo instit. de  
obligat.

Quæ officia obligationum  
singularū sint.

Ex Pandectis & institutionibus ita 4  
uenis studiosus excerpere potest.

Quæ cognatio.

Quomodo inter se obligatiōes mu 5  
tua quadam cognatione se respiciant.

Quæ pugnantia.

Quomodo pugnet obligationes ci 6  
uiles cum prætorijs, quomodo pugnet  
obligatio naturalis cum ciuili.

A 5

Exem

Exempla alia, & in Pādectarum libris & in interpretibus iuris ciuiliſ nō pauca extant. Sic Baldus in commentarijs in libros iurium, ut uocant, feudaliū, primo quid ſit feudum oſtendit, deinde quā uariū ſit ius feudale demonſtrat, poſtremo quæ officia, quæ cognata, quæ pugnantia feudorum ſint, declarat. Sic etiā Rochus Curtius inſignis iuriſconſultus, in commentarijs ſuper rubricam de conſuetudine. Quid conſuetudo ſit, quā multiplex conſuetudo ſit, docet quæ officia ſingularū ſint conſuetudinum, indicat quo pacto diſcrepet à ritu, moribus, &c. aperit: quorum exemplorum propterea iutenem monui, ut partim uſum dialecticæ locali intelligat, partim ut & ſimilia exempla in autorib, paſſim obſeruet, & etiā ad illa exprimenda ubi res poſtularit, ſe accomodet.

Cæterum dialectica *legitima* appellatur, partim quod de propoſitionū complexionibus iudicet, quæ ab Ariſtotele Analiticæ prior dicitur, partim quod  
de

de argumentis necessarijs iudicium ferat, & ab Aristotele Analyticę posterior appellatur, partim quod de falsis & cauillationibus dijudicat, & sopherice uocatur. Porro hæc dialecticę pars locis quoque τὸ λογικῆς utitur, dum uel de propositionum iuncturis, uel argumentorum ueritate, censuram exercet. Exempli gratia, si proponatur thema, ius naturę quod hominibus commune est, & gentium ius specie non distinguuntur, Hic dialectica λογικῆς exercit uim suam, an ne recte hæc propositio cōnexa sit, ut autem ueritas huius propositionis appareat, docet dialectica λογικῆς, ut à partibus propositionis huius argumenta ducantur, prima pars huius propositionis est ius naturale, ab illa parte argumentum ducetur, si quid sit ius naturale finitione ostendemus.

Ius naturę est cognitio earum sententiarum quas deus omnium hominum animis natura impressit, Cuiusmodi est illa: Nemo cum damno alterius locupletari debet l. natura, ff. de conditio

ne indeb. Item deus colendus est, p̄  
rentibus & patriæ parēdum l. ueluti ff.  
de insti. & iure.

Iam finiamus etiam ius gentium.

Ius gentium est, quod naturalis ra-  
tio inter omnes homines constituit §.  
quod uerò insti. de iure naturali, &c.  
Hoc est ius gentium, est etiam cog-  
nitio earum sententiarum, quas deus o-  
mnibus hominibus natura inscripsit,  
& quas ueras esse ratio omnes homi-  
nes docet. Hic audis illa duo, ius gen-  
tium, & ius naturæ, finitione conueni-  
re, ergo d̄iudicatum est facile illa duo,  
quatenus hominibus cōmunia sunt,  
specie non distingui. Et proinde uera  
est propositio, ius naturale, quod ho-  
minibus commune est, & ius gentium  
specie non distinguuntur. Hic si uoles  
etiam à causa utriusq; iuris argumen-  
tari, potes hoc modo: Ius tam naturale  
quàm gentium ex primis principijs ra-  
tionis operariæ oritur, ergo alterum ab  
altero specie non distinguitur. Antece-  
dens probari potest ex finitione utri-  
usq;

titq; iuris. En uides quomodo dialecti-  
 ca *legitima* de propositionum cōnexio-  
 nibus dijudicet, quomodo uero de ar-  
 gumētis necessarijs iudicium fert? Au-  
 di paucis dum ita colligo: Sempronius  
 domū à Titio emit quadringentis au-  
 reis, ergo Sempronius Titio obligatio-  
 ne obstrictus est. Hoc argumentū ne-  
 cessarium esse dialectica *legitima* nos p-  
 be docet, siquidē ex causa ad effectū.  
 Hic colligitur, est enim contractus, cu-  
 iusmodi est emptio, causa obligatio-  
 nis, ac posita causa, sequitur effectus, et  
 quidem necessario. Exempla plurima  
 ex ipsis etiam Pandectarum libris ad-  
 ferre possem, sed quando inferius de il-  
 la re quoq; dicendi occasio erit, in pra-  
 sentia ne in ipso statim uestibulo proli-  
 xior sim exemplis pluribus referendis  
 supersedebo. Opinor aut iam usum  
 dialecticæ & localis & iudicatiuæ iuue-  
 ni studioso iuris ciuilis utcunq; osten-  
 sum esse, propero iam ad discri-  
 men dialecticæ &  
 rhetoricæ,

Descri

Discrimen Dialecticæ &  
Rhetoricæ.

**N**on inutile quoque esse reor, ut iuuenis iuris ciuiliis studiosus etiã perspectum habeat, quomodo dialectica à rhetorica discrepet. Sic enim fiet ut quid ex dialectica imprimis petere debeat non ignoret, & quid ex rhetorica mutuari debeat quoque sciat. Boëtius Seuerinus in libro quarto de differentijs Topicis & *πολύμερος* & peracuite dialecticam à rhetorica separat, uerũ ne animus iuuenis multitudinẽ & acuminẽ rerum oneretur, id quod sedulo cauendũ imperator Iustinianus in instit. de iustitia & iure §. his igitur præcipit. Ego ex uno loco Ciceronis, et qui dem patricis, quid inter dialecticam & rhetoricam discriminis sit ostendã. Cicerone in libro de claris oratorib. ita dialecticã à rhetorica differre scribit, quod illa sit contracta & quasi adstricta eloquẽtia, hæc uero sit dilatata dialectica. Quod ita iuuenis accipiat, quod dialectica

ctica sit certis quibusdam uerborū ueluti terminis conclusa, extra quos egredi non audeat, & proinde paucis uerbis de re differat. Rhetorica uero quāuis etiam dialectica quædam sit, tamen pluribus uerbis de re aliqua disputet, & nudam ueluti rerum dialecticarum faciem multis & uerborum & rerum schematis uariet, non quidem ad uanā ostentationem, sed ut res & popularior & dilucidior reddatur. Breuiter, dialectica ductum quendam argumentandi intra certam ueluti regionem cōclusam subministrat, rhetorica uero ornatum addit. Verbi gratia, dialectica ita colligit, Sempronius liti de prædio mortæ renunciauit, ergo causam finitam instaurare nō potest. Sic colligit imperator in l. postquam C. de pactis. Cæterum rhetorica, ut res sit popularior & iucundior auditu, in antecedente narrat, quomodo Sempronius ob prædiū quoddam quod illo in loco situm fuit, ubi ἐπιγραφή prædij addit à Titio in ius uocatus, coram iudice Meuiō, cum  
 se



se causam suam non persequi posse uideret, à lite discesserit. In consequente autem rhetorica miras tragœdias agit, quam nulla ratio permittat, ut cum semel Sempronius liti renūciarit, eam de integro instaurare conetur. Actā enim rem ne agas, uulgo dici solet ubi primum quam rationi minime consentaneum sit, eum qui liti semel renunciarit litem ἀναζωπυρεῖν demonstrat. Deinde exemplis pluribus, quod ante hac nulli concessum sit actum agere, confirmat, &c. Ut uero iurisconsultus res adeo populariter, & uerbosè proponere & explicare possit, semper ob oculos positas habeat figuras, quæ ad amplificandas res faciūt, quas ex cōmentario posteriore Erasmi de copia rerū iuuenis facile condiscere potest. Exempla uero rhetoricarum amplificationū, iuuenis ex clarissimis oratorib. petat, Demosthene, Isocrate, Aeschine, Cicerone, an non uero, ut mouendi iuuenes gratia unum exemplum proferā, egregium exemplum rhetoricæ dictionis

nis est apud Aeschinē in oratione cōtra Ctesiphontem, dum enim dialecticus ita colligisset: Omnis qui habet publicam functionem, non prius coronari debet, quàm reipub. rationem reddidit: Demosthenes publicam functionem habuit, ut qui *ἑκχοντοσιός* fuit, ergo non prius à Ctesiphonte coronari debuit, quàm rationem reipub. reddidisset. At uero orator ille Aeschines, maiorem propositionē exemplis uarijs probat, uerborum & sententiarum luminibus illustrat. Quo in exemplo uel solo iuuenis uerum esse cōperit, quod paulo ante de dialectica & rhetorica Cicero dixit, quod illa adstricta sit eloquentia, hæc uero dilatata dialectica. Diximus quid dialectica sit, & quot in species uel partes diducatur, quomodo à rhetorica differat. Enim uero quando superius diximus dialecticam esse artē quæ doceat diffinire, & ambigua diuidere, reliquum est ut explicemus ea è quibus & diffinitio constituitur & depromitur, tum diuisio conflatur, Illa ue-

ro sunt quinque uoces predicabiles, & decem rerum ordines, seu decem categoriarum.

De quinque uocibus predicabilibus.

**V**Oces predicabiles appellant dialectici illas quarum una de altera predicatur, predicari uero est alteri attribui, ut cum dico: emptio est contractus, attribuitur emptioni quod contractus sit, id est, ultro citroque obligatio l. labeo ff. de uerb. signifi. Nam ut emptor uenditori obligatur ad pecuniam pro re empta prestanda, ita & uenditor emptori obligatur ad rem uenditam prestandam l. ij. C. de contrahenda emptioe & uenditione. Porro contractus est genus, emptio est species, uoces ergo sunt predicabiles: nam ut paulo post dicemus, genus apte de specie predicatur.

Voces predicabiles sunt quinque.

Genus.

Species.

Differentia.

Pro

Proprium.  
Accidens.

De genere.

**G**enus est, Porphyrio autore, terminus uniuocus, qui de pluribus & quidem specie differentibus prædicatur. Quæ finitio, ut à iuuenibus intelligatur, nolo eos lateat, uocū alias esse uniuocas, alias æqui-uocas, alias denominatiuas. Uniuocæ uoces dicuntur quæ & nomine & finitione iunguntur ut contractus est ultro citroq; obligatio, quæ omnia possunt dici de emptione, uenditione, locatione, conductione, societate, deposito, mutuo, & alijs innumerabilibus. Sic obligatio est iuris uinculum, quod parit actionem & exceptionem, quæ omnia dici possunt de prætoris, ciuili obligatione, de obligationibus, quæ ex contractu aut quasi ex contractu, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio sunt, de quibus uide titulos institutionū iuris ciuiliis Iustiniāni. Bre

B 2 uiter

uiter uniuocæ uoces sunt aut genera speciebus aut species speciebus. Genera speciebus ut ius priuatum & ius naturale, gentium & ciuile §. dicendum insti de iustitia & iure: species speciebus uniuocæ sunt, ut ius naturale, gentiū, ciuile, ius commune, & genus, & nomē commune est priuatum. Ius quod ex illis speciebus iuris collectum est, sic obligatio naturalis, ciuilis, uniuocæ uoces sunt, ut quibus commune nomen est obligatio. Aequiuocæ sunt, cum duæ res commune accipiunt nomen, finitione uero separantur, ut uera solutio & imaginaria solutio. Etenim ijs unū est nomē, finitio uero est diuersa. Cum enim dixeris solutionem esse, cū id facimus, quod nos facturos pmiserimus l. solutionis ff. de uerb. signifi. hoc certe de solutione imaginaria & ficta dici non potest, proinde necessario erūt disparia. Hic autem obseruet iuuenis uoces uniuocas sæpe mutari in æquiuocas Nam actio realis & actio personalis, uoces uniuocæ dum secundum nomen

mē actionis minime diffinita sunt, equi  
 uocæ uoces appellari possunt. Et cum  
 dicis, actio realis est qua ago in rem, ut  
 eam mihi uendicare possim; & cum di  
 cis, actio personalis est qua ago con  
 tra personam, quæ mihi aliquid ex ali  
 quo contractu debet §. nancq; agit, insti  
 tutio, de actionibus. Diuersæ relucet  
 finitiones, & erunt res uniuocę (nam  
 actio realis & personalis, in uoce actio  
 nis iunguntur) in æqui uocas permuta  
 tæ. Huc referri possunt & nomina &  
 uerba ac omnes uoces *πολύσημαι*, qua  
 rum ueluti penu quoddā instructum  
 comperies in titulo de uerb. signifi. Si  
 quis de æqui uocis copiosiore dispu  
 tationem requirit, is legat commenta  
 rios Boëtii in prædicamēta Aristotelis.  
 Denominatiuæ uoces dicunt quæcūq;  
 ab aliqua uoce deriuatæ solo casu, id  
 est, ultimo inclinamento differunt, ut  
 legatarius, depositor, depositarius Ha  
 rum uocum explicationem propterea  
 hoc loco inserui, ut iuuenis intelligat,  
 quomodo genus uniuocę de speciebus.

prædicetur, & quid sit æquiuocæ de aliquo prædicari. Porrò specie differre, est esse diuersas species. Est ergo genus uox uniuoca, quæ de pluribus specie differentibus prædicatur, ut ius ciuile prædicatur de iure scripto & non scripto, quæ differunt specie, id est, diuersæ sunt species uniuocæ, id est, eodem nomine & eadem ratione.

Exempla alia.

Si seruitus prædicat de seruitute reali & personali, dominū de domino utili & directo, possessio de ciuili & naturali, obligatio prædicat de obligatione naturali, ciuili, prætoria, &c. Res prædicat de re corporali & incorporali, mobili & immobili, &c. Moneta prædicat de pecunia aurea, argentea, cuprea. Sed exēplorū satis est, uenio ad generis diuisionem.

Diuisio generis.

**G**enerum alterum est generalissimum, alterum est subalternum. Genus generalissimum est, autore Porphyrio,

phyrio, quod cum sit genus, nō potest esse species, ut ius per se consideratum, dum accipitur pro cognitione æqui & boni §. 1. ff. de iustitia & iure. Lex per se cōsiderata dum accipitur pro sententia generali aliqua præcipiente, & aliqua uetante l. 1. ff. de ll. Genus subalternum est, quod cum sit genus, etiā species esse potest, sed diuersa ratione, ut donatio, cum accipitur pro eo quod alicui donatur, genus est. Nam donatio omnem donationem comprehendit l. alienatum ff. de uerb. signifi. Sed cum accipitur pro eo quod aut propter suspicionem mortis donat, aut quod inter uiuos nobis dono dat species erit §. 1. instit. de donationibus. Sic adoptio partim genus, partim species est. Genus quidem cum significat transitum in alienam familiā & potestatem. Species quando aliquis autoritate principis ab aliquo arrogatur §. adoptio, instit. de adoptionibus; sic ius humanum si conferas cum iure uel civili uel gentium, generis personam sustinet; sin cō-



feras cum iustitia, speciei naturam induit. Exempla plura iuuenis studiosus suo pte Marte obseruet, hoc uero in iure ciuili non raro usuueniet, quod genus pro specie ponatur, ut §. 1. institut. de donationib. Donationum autem duo sunt genera, &c. hoc est species, in l. non uidetur ne iudicem ff. de iud. uerba legis sunt: non uidetur in iudicem cōsensisse, qui ēdi sibi genus apud eundem iudicem postulat actionis, ubi genus pro specie etiam Accursio autore collocatur, id quod propterea monendum duxi, ne iuuenis genus semper in sua natiaua significatione accipi arbitretur. Reliqua quæ hoc in loco dici possunt, in prioribus dialecticis à nobis uel *λεξαξιόγως*, dicta sunt, quæ hic repetere nolumus, ne mazam ante hac pistam, ut in prouerbio est, repinsere dicamur.

De specie & indiuiduo.

**Q**uando species de indiuiduo prædicatur, pauca hic prius de indiuiduo dicemus, quàm speciei naturam patefaciamus

patefaciamus. Indiuiduū est quod de uno solo prædicat̄, ut sunt nomina propria, Sempronius, Titius, Meuius, Vipianus, dicitur autem indiuiduum, uel ut Græci appellant, ἀτομον, quod neque in similes, neque in dissimiles formas diuidi possit, ut tam genera quàm species diuiduntur. Nam nomen Sempronius non pluribus cōmune est, sed uni tantum Sempronio competit, & licet plures sint quibus Sempronij nomen inditum sit, tamen non fit propter communem in ipsis speciem, sed ob solam nominū similitudinē. Hinc est, quod & iurisconsulti indiuiduum appellant, cuius effectus diuidi nequit, cuius farinæ sunt omnes seruitutes præter usufructū, ut in l. stipulationes non diuiduntur ff. de uerb. obligat. & in l. in executione eodē titulo. Sed hæc τὰ ἀτομα sunt; hoc iuuenis non ignoret indiuidua etiam appellari, nomina appellatiua, ut grammatici uocāt, cum pronomine demonstratiuo cōiuncta, ut hic fundus, hæc emptio, hoc testamētū,

mentum, iste contractus, sed de indiui-  
 duo satis. Venio iam ad speciem quæ à  
 Porphyrio sic diffiniit, species est uox  
 uniuoca, quæ de pluribus numero dif-  
 ferentibus, id est, diuersum numerum  
 constituentibus, in eo quod quid præ-  
 dicatur ut homo prædicatur, de Labeo  
 ne, Vlpiano, Papiniano, quæ numero  
 differunt, quæ inter numerandum di-  
 uersum numerum constituunt, & qui-  
 dem in eo quod quid. Nam si rogeris  
 quid est Vlpianus? responderetur illico,  
 est homo, potest et species sic finiri: spe-  
 cies est quod sub genere collocatur, ut  
 emptio, uenditio, mutuum, species sub  
 genere contractu collocantur, pactum  
 nudum, pactum uestitum, ut ita dicam,  
 sub pacto ponuntur, sic actio realis, per-  
 sonalis, publicana, &c. sub actione po-  
 nuntur. Sic contractus stricti iuris &  
 contractus bonæ fidei sub cōtractu ge-  
 nere collocantur. Sed quid in rebus pas-  
 sim obuijs tot exempla pfero? Sed hic  
 dixerit aliquis, ecquid nam hoc inter se  
 concordat, quod iam dixisti speciem  
 sub

sub suo genere poni, cum regula iuris sit, generi per speciem derogari, in l. do li clausula. ff. de uerb. obligat. & in C. generi, de regulis iuris in sexto, ubi respondendum est, quod si ratio prædicandi & ordo prædicamentalis consideretur, nunquam non uero cõsentaneum sit, quod species sub genere collocet: uerum si ratio contractuum, legatorum & ultimarum uoluntatum, &c. consideretur, uerum esse constabit, quod aliquando generi per speciem derogetur. Nam si testator legauit uni speciem, & alteri genus, generi per speciem derogetur. Præterea si testator legat libertis alimenta in genere, & uni libertorum legat alimenta in specie, is cui legatur in specie à legato excluditur ff. de aliment. & cibarijs lega. l. alimenta §. libertis. Qua de re non ineleganter scripsere Bartholus in l. quæsitum §. ultimo ff. de fundo instructo, & Dynus in C. generi, de regulis iuris in sexto. Videt ergo iuuenis illam regulam non la befacere hoc quod supra diximus, Spe  
cies

cies est uox quæ sub certo genere ponitur. Porro circa specierum tractationē illud silentio non ferendum erit, quod ut genus incertum quid est, ita species aliquid certi existat. Nam cū dico fundum tibi lego, incertum est de quo fundo ego testator uerba faciam: ac cum dico fundum Tusculanum tibi lego, nulli non certo constat, de quo fundo locutus sim, qua de re etiā disserit Paulus iurisperitus in l. stipulationum, & l. ubi autem ff. de uerb. obligat. Sed quid species sit, à me iam dictum est satis, restat diuisio speciei, quæ etiā à me explicanda est.

### Diuisio speciei.

**S**pecierū alia est specialissima, alia subalterna specialissima est, quæ ita quidem species est, ut generis personam non unquam sustineat, secundū quā speciem recta ad indiuidua peruenitur, quæ cum numero certo comprehendi nequeant. Plato præcipit, ut  
ubi

ubi à generalissimis ad specialissima p/ uenimus ultra aliquid inquirere, quie/ scamus, sed ut exemplis res manifesta fiat. Lex est species specialissima, nam cum species sit lex, generis naturā proprie induere non potest, sub qua specie ponitur lex Iustiniani, lex Pompeia, lex Iulia de adulterijs. Species subalterna est, quæ intra genus generalissimum & speciem specialissimam ponitur, quæ ut species existit, ita etiam generis rationem sibi usurpat, sed diuersa ratione. Exempli gratia, ius humanū species est subalterna. Nam si respicias iustitiam, species est, sin consideres ius Romanorum, generis rationem uindicat. Sic ius Romanorum, si oculos flectas ad ius humanum, species appellabitur, sin obtutū defigas ad legem, ius generis obtinebit. Sic pactum respectu conventionis quod uerbum generale est ad omnia pertinens, de quibus negotij contrahendi transigendiq; causa cōsentiant homines, qui inter se agūt l. i. §. conuentionis ff. de pactis, est species.

cies. At si contempleris pactum priuatum, pactū publicum, &c. generis naturam induit, sed de specie satis sequitur differentia.

### De differentia.

**P**orphyrus qui de quinque uocibus prædicabilibus accuratissime scripsit, differentiam ita à ueteribus finitam scripsit. Differentia est qua species abūdat à genere, ut publicum pactum est conuentio quæ fit per principem, aut quoties duces belli inter se quædam paciscuntur l. cōventionum ff. de pactis, ubi illa conuentio quæ fit per principē, &c. differentix locum occupat, quod à genere abundat id est, ad ueritatem generis constabiliendam non requiritur. Nam cōuentio in genere accepta absq; illa pactione principum & ducum belli uera consistere potest. Item cum dico interdictum prohibitorum est, forma & conceptio uerborū, quibus prætor uetat aliquid fieri §. prohibitoria, in  
sti.

sti. de interdictis, Illud quo prætor uer-  
tat aliquid fieri, est differentia quod à  
genere abundat, id est, ad generis uerit-  
tatem ratificandam nõ requiritur. Ete-  
nim forma & cõceptio uerborũ, absq̃  
solennitate uerborum, quibus prætor  
aliquid fieri prohibet, uerificatur. Fini-  
tur & differentia hoc modo: Differen-  
tia est illud, penes quod res à rebus dif-  
ferunt, ut res corporales sunt quæ tan-  
gi possunt. Tangi posse est differentia,  
id est, nota quædam qua res corpora-  
les ab incorporalibus rebus quæ tangi  
non possunt differre cognoscuntur §.  
insti. de rebus corpor. & incorp. Item  
cum dico: Locatio & conductio est cõ-  
tractus iuris gentium, quæ mutuo con-  
sensu inter homines mercede constitu-  
ta contrahitur, ubi mercede constituta,  
&c. est differentia, qua locatio & con-  
ductio à mandato, quod gratuitum est  
§. in summa insti. de mandato, discer-  
nitur. Hic curet iuuenis, ut quantũ fie-  
ri potest, uerum differentias probe in  
iure ciuili pernoscat, ne, ut sæpe fit, aut  
unam



unam pro alia imprudenter usurpet, aut ea differre putet, quæ prorsus non differunt. Sunt uero triplices rerû notæ seu differentiæ. Sunt differentiæ cõmunes, quæ autore Ammonio per accidēs sunt separabiles: sic Sempronius depositor à Titio depositario. Titius hæres à Sempronio legatario differt. Propriæ differentiæ sunt, quæ sunt per accidens inseparabiles ut homo uitiosus, gibbosus, curuus, homo sanus, rectus, &c. plusquam proprie differentiæ sunt, quibus differentes species discernunt. Sic differt emphyteusis à conductione & locatione §. adeo autē insti. de locatione & conducti. Sic cõmodatum differt à mutuo §. item is, insti. quibus modis re contrah. obliga. Sic interdictum prohibitorium differt ab interdicto restitutorio, ut probatur in insti. de interdictis.

De proprio.

**P**roprium, ut apud Porphyrium, ita etiam iurisconsultus quadrifariam dicitur. Est aliquod proprium quod soli

soli speciei, sed non omni accommodatum est. Sic imperator Iustinianus instituit. de patria potestate, ius, inquit, potestatis, quod in liberos habemus, proprium est civium Romanorum. Nulli enim alij sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem. Sic & in l. omnes populi, ff. de insti. & iu. dicitur: Omnes populi qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur. Dicitur & proprium, quod omnium quidem speciei, sed non soli conuenit, coniunctio maris & foeminae, liberorum procreatio, liberorum educatio, omnium quidem homini propria sunt, sed non soli. Videmus enim inquit imperator §. ius naturale, instit. de iure nat. caetera quoque animantia istius iuris peritia censeri. Dicitur & proprium, quod omnium speciei & soli, sed non semper conuenit, ut hominem in senectute senescere id enim solius est hominis, sed in senectute. Dicitur denique proprium, quod & soli & omni, & semper inest, quod ita

C

à Por

à Porphyrio finitur: Proprium est, quod omni, soli, & semper inest, & cōuersum prædicatur de re cui inest, nec tamen rei essentiam declarat, ut institutio heredis, omni, & soli homini, et quidem semper potētia inest. Nam homo quandiu uita fungitur, aptus est ad hæredem iustituendum, & cōuersum prædicatur de homine. Nam apposite dicitur, homo est aptus ad instituendū hæredem, & aptus ad instituendum hæredem est homo. Quod si crassissime proprium finire uis, dicas propriū est, qd officium aut rerum, aut personarū, designat. Rerum sic est proprium actionis realis & personalis, proprium dominij & possessionis, proprium iudicij petitorij, & possessorij. Propriū hominū, sic proprium est actoris, ut forum rei sequatur. Sic proprium est eius, qui accusare uult, ut probationes habeat l. q. accusare, C. de edendo. Sic propriū est iudicis, ut rei qualitatem plena inquisitione discutiat l. iudices, C. de iud. Porro quo pacto proprium à differentia discrepet,

scirepet, in priorib. dialecticis diximus.

De accidente.

**A**ccidens est quod uel adesse uel abesse subiecto potest, prater eius interitum, ut esse tutorem, esse curatorem, esse iudicem, esse præfectum prætorio, homini adesse potest prater eius interitū. Sic arra uel adesse uel abesse emptioni & uenditioni potest præter contractus illius interitum, §. instit. de emptione & uendit.. Dialectici duplex esse accidens scribunt, separabile & inseparabile. Separabile est, quod à subiecto separari potest, ut esse consulem, esse reum, esse actorem, esse heredem, à subiecto homine separari potest. Inseparabile, quod actu à subiecto separari nequit, ut pretium ab emptione & uenditione seiungi actu non potest. Nam nulla emptio sine precio consistere potest, §. pretium, instit. de empt.

Cæterum iurisperiti accidens trifariam diuidunt. Nimirum quod sit accidens

cidens contra naturam, secundum natura-  
 turam, præter naturam. Contra natura-  
 turam, ut seruitus, captiuitas, quæ iuri  
 naturali contrariæ sunt, §. ius autem gen-  
 tium, instit. de iure nat. Secundum natura-  
 turam, ut esse liberum, l. 1. ff. de testam.  
 Præter naturam accidens est, quod neque  
 naturali iuri aduersatur, neque etiam è iu-  
 re naturali propagatur, ut dignitas &  
 indignitas personæ, de qua uide l. Bar-  
 barius, ff. de offi. præ. Hactenus ra-  
 tionem quinque uocum prædicabilium,  
 quam potuit fieri, diligentissime expli-  
 cauimus. Sed ut iuuenis etiam illarum  
 usum quendam in ciuilibus negotiis cer-  
 nat, pauca mihi adhuc illis quæ dixi co-  
 ronidis uice adiungenda sunt. Princi-  
 pio, finitionem & diuisionem in omni-  
 bus causis, facile principatum obtine-  
 re, nemini non perspectum est. Nam fi-  
 nitio facit, ut res de qua disputatur, cer-  
 to & liquido cognoscatur. Diuisio ue-  
 ro, si qua ambigua occurrunt, expedit.  
 At ut recte finiamus, ut apte res diuida-  
 mus, ualde prodest in illis quinque uoci-  
 bus

bus prædicabilibus bene exercitatum esse. Etenim ex illis cognoscemus, quæ uoces inter se cōnecti debeant, & quæ necessario, quæ non necessario connectantur. Necesario autem inter se connectuntur genus & species. Locatio est contractus. Necesario connectuntur species, differentia, & proprium, ut locatio est contractus, qui consensu mutuo, mercede cōstituta, cōtrahitur. Proprium est præsidis curare, ut pacata atq; quieta prouincia sit, quam regit, l. congruet, ff. de offi. præsidis. Non necessario cum alijs accidens connectitur, ut Sempronius est legatarius, Ulpianus est iuriconsultus: dū uero scimus quæ uoces necessario, quæ uoces nō necessario cohærent, & facile quæ ad substantialem finitionem instituendam faciāt, quæ ad finitionem accidentariam pertineant, in promptu habere possumus; Tam & certius de finitionibus oblati dijudicabimus. Quid uero hic cōmemorem de diuisione, quæ cum aliquando generis sit in species, aliquando sit

subiecti in accidētia, facile intelligi potest cognitionem quinq; uocum prædicabiliū ad diuisionem rerum ualde conducibilem existere. Nō raro iuriscōsulti etiam magni, dum non illarū uocum ualde magnam rationem habent, in diuisionibus rerum explicandis lapsi sunt. Etenim Bartholus, ingenij sanè admirandi iuriscōsultus, dum quinq; uocum curā abijcit, in l. quod nerua, ff. de positi, turpiter admodū se dat, quod culpam diuisam in latam, latiore, & latissimam, leuem & leuissimam, in species diuidi existimauit, cū nemo non uel leuiter literis tinctus intelligat culpam hoc modo diuisam in accidētia, uel magis & minus diuisam esse, quæ diuersas species nō constituāt l. si, ff. de fundo instructo, l. si is, ff. quæ ad. serui. amittat. Accedit hęc, quod cum permultum referat scire, quæ propositiones, de quibus inferius dicendi locus dabitur, necessariæ sunt quæ nō necessariæ sunt. Nā illis perspectis fortius aduersarium stringere, & aduersarij

rii argumenta facilius eludere possu-  
 mus. Ex illarum quinque uocum cog-  
 nitione, & mutua prädicatione, quicquid  
 id est quod iam dixi, sine omni labore  
 perdisci potest. Etenim hic audiui-  
 mus genus de specie, differentiã & propriũ  
 de specie necessario prädicari. Ex his  
 ergo necessariarum propositiones con-  
 xuntur, at accidens cum illis uocibus  
 nõ necessario copulatur, ergo hinc nõ  
 necessariarum propositiones componun-  
 tur, uerbi gratia cũ dico: Mutuũ est cõ-  
 tractus, genus de specie prädicatur cũ  
 dico, seruitus est constitutio iuris gen-  
 tium, qua quis domino alicuius subij-  
 citur præter naturam, §. seruitus, instit.  
 de iure perso. proprium seu differentiã,  
 de specie seruitute prädicatur. Nam ser-  
 uitus respectu subiectionis est species,  
 eiusdẽ monetæ est, cũ dico pactum in  
 rem est quoties generaliter paciscor ne  
 petam, hic rursus differentiã de specie  
 prädicatur. Nam generaliter pacisci ne  
 petam, ponitur ad differentiã pacti in  
 personam, quoties paciscor ne à perso-



na petam §. pactorum, l. iurifgentium, §. pactorum, ff. de pactis. Ex illis mutuis uocum prædicationibus, necessariæ propositiones conficiuntur. At cū dico, Titius est hæres, Sempronius est tutor, Meuius est curator, accidens de indiuiduis prædicatur non necessario. Proinde & inde nõ necessariæ propositiones conflant. Quæ obseruatio cõnexionis uocum non dici potest quàm in ciuilibus actionibus profit. Nam in illis sæpe pleriq; nituntur nõ necessarijs propositionib. quas si quis obseruet, facile aduersario causam ex manibus extorquebit, ut cum pleriq; dicunt: Petrus est magistratus, ergo merito illi parcit, prior uocum connexio est ex accidente cõtexta, quare infirma erit, nec id efficiet quod aduersarius uolet. Huiusmodi ex accidente cõtextæ propositiones, & apud Demosthenem & Cicero nem plurimæ sunt, quas si quis ad uium exigat, prorsus infirmæ et fragiles existunt. Sed de his rebus inferius de propositionibus uerbosius dicam, hæc paucis

paucis hoc in loco commemorare uolui, ut iuuenis etiam quinque uocum usum quendam teneret. Nam ut occulta Musicae respectus nullus, ita religio mihi erat, ne iuuenis iuris ciuilibus studio, quinque uocum curam omnem abijceret, nisi illarum utilitatem quandam, nec eam uulgarem perspectam haberet. Sed uenio ad decem praedicamenta.

### De decem praedicamentis.

**H**Actenus in quinque uocibus ostensum est, quae uoces cum quibus cohaereant, iam uero ut illarum uocum exempla inuenibus in proptu sint, praedicamentorum rationem explicabimus. Veteres praedicamentum ita simplicissime finierunt, praedicamentum est series & collocatio uocum inter se, ita ut aliqua supernae ponantur, aliqua infernae. Exempla non ita multo post producemus. Aristoteles uel Archita Tarentinus, ut alij uolunt, decem praedicamenta esse scribit, substantiam, quantitatem, qualitatem

qualitatem, ad aliquid seu relationem, passionem, actionem, ubi, quando, situm, habitum.

### De substantia.

**S**ubstantia est illud, quod per se subsistit, & cuius accidentia ceu fundamento nituntur, ut aurum est substantia, quod per se subsistit, etiamsi nullum accidens ei accedat, hoc est, nullus plane color. Aristoteles duplicem substantiam esse refert, primam & secundam. Primam substantiam uocat nomina propria seu individua, ut Labeo, Ulpianus, Papinianus. Secundam substantiam appellat genera & species, ut est animal, homo, leo, equus, &c. Porro apud iurisperitos substantia dicitur illud, quod dat esse rei, & est ueluti forma essentialis, ex qua aliquid inesse, ut philosophorum more loquar produci tur, productum conseruatur. Sic in emptione pretium est de substantia, instit. de empt. & uendit. §. pretium. Nam sine

ne pretio intercedente, contractus emptionis nullus est, sic interrogatio & responsio in continenti facta formam substantialem addit stipulationi, quae eam inesse producit l. 1. §. qui praesens, ff. de verb. obligat. Sic consensus est substantia matrimonii iuxta regulam, nuptias non concubitus, sed consensus facit. Sed ut iuuenis cognoscat, quomodo in substantia sit uocum collatio & series, substantiarum classem, ut apud iuriscōsultos instrui solet, instruam.

Genus generalissimum

Iustitia

Genus subalternum.

Species

Humana.

Diuina.

Ius humanum

Ciuile.

Gentium & naturae.

Ius Romanorum

Scriptum.

Non scriptum.

Lex

Prima.

Secunda.

Lex Iulia, Pompeia, Voconia, &c.

Aristoteles substantiam non recipere ma

re magis et minus asserit, id est, una substantia, tam substantiæ nomē meretur quàm alia, & hoc quod ad substantiæ rationem attinet, alioqui si actus & dignitates consideres, substantia substantiæ præstat. Sic Sempronius tam homo est, quàm Titius, sed secundum actus & dignitates Sempronium Titio antefare uidemus. Ad hæc substantia contraria quidem non habet, sed contraria suscipit, ut Meuius qui iam albus est, mox niger esse potest, eadem tamē substantia perdurante.

#### De quantitate.

**V**eteres quantitatem ita utcumque describere solebant. Quātitas est ens substantiarum mensuratiuum, hoc est, quantitas est id per quod res mensurantur. Sic una est quantitas, hoc est, res in longum mensurabilis. Pes est quātitas, qua mensurantur terræ. Aristoteles quantitatem bifariam diuidit, in cōtinuam & discretam. Continua quantitas

titas est, quæ ostendit quàm magna aut parua sit res, cuius species sunt,

Linea.

Superficies.

Corpus.

Linea est longitudo tantum sine latitudine & profunditate. Et sic una tantum dimensione metitur, & à puncto profluit, uide l. lineam, ff. ad l. falcid. & l. inter eos, ff. de acqui. rerum domi.

Ad lineam referuntur omnia quæ in longum possunt diuidi, ut

Pertica, quæ uicenos pedes, aut ut alij cõtendunt, uicenos quinos pedes continet. Decempeda, decem pedes à Græco *δέκαπους* ut *τρίπους* à masculino fœmininum factum, ut inquit Priscianus, qua uoce usus est Cicero in XIII Antoniana, unde decempedator, qui decempeda metitur. Stadium pedum est sexcentenum, Herodotus centum orgyiarum dicit in secundo, ubi de labyrintho uerba facit.

Orgyia senum pedum est mensura, & quatuor cubitorum.

Cubitus

Cubitus sex palmorum.

Plethrum mensura est centum pedum, autore Suida, & sexta pars stadij.

Diaulus mensura est duorū stadiorum. Milium stadiorum est septem semis uel etiam octo. Dolichus stadiorum duodecim. Schoenus mensura est Aegyptiaca sexaginta stadia continens, autore Herodoto, quamuis Plinius libro quinto & duodecimo quadraginta stadia dicat. Parasanga Persica uox est, autore Herodoto in libro secundo, & triginta stadia complectit.

Stathmos, id est, mansio, milia continet uiginti octo semis. Inde mansiones militares, de quibus in Codice Iustiniani fit mentio. Orgyia, autore Herodoto, sex pedum est, Theodorus in Aristotele ferè passum uertit. Suidas mensuram esse scribit, quæ inter manus expansas continetur. Germanice, ein span. Passus, ut plerunq; uolūt, mensura est quinque pedum, id est, duorum gressuum. Gressus duos pedes & semissem continet, Græcis *βυσσάδι* dicitur.

citur. Pes quatuor palmorum.

Palmus quatuor digitorum, Græcis *πάλαιον* dicitur. Antiqui *πάλαιον* appellabant, autore Vitruuio libro 2.

Palmus quatuor digitorum. Est autem duplex palmus, maior & minor. Maior quatuor est digitorum, minor est duodenarium, qui etiam *σπιθαμή* dicitur. Germanis ein span, latinis uocatur do drans. Cubitus & uel sesquipedale constat, hoc est, digitis uiginti quatuor, a Græcis *πύγυρ* appellatur, unde Pygmaeos dictos. Eustatius existimat, uel ut alij tradunt, in secundo articulo digiti auricularis desinit & uiginti digitorum est. Pes sedecim digitis constat, &c.

Hæc omnia ad lineam possunt referri, quæ propterea hic ordine recensui & explicauimus, tum ut iuuenes cognoscerent quam longe lateque se linea porrigat, tum ut uocabula illa mensurarum iuuenibus perspecta fierent, & ex illis per se ratiocinandi loca in iure civili intelligerent, sequitur superficies.

Quid



## Quid superficies.

**S**uperficies est longitudo & latitudo sine profunditate, uide l. i. ff. de superficie, l. si fundum, §. qui fundum, ff. de lega. i. ubi & in alia quadam significatione superficiem usurpari comperies. Ad superficiem refertur triangulare, quadrangulare, sextangulare.

## Quid corpus.

**C**orpus est longitudo, latitudo, & profunditas, ad corpus refer, sphaeram, sexangulum, septangulum. Nonnulli inter species continuæ quantitatis locum & tempus numerant, quorum duorum in iure magnus est usus, sed de illis inferius in prædicamentis, ubi & quando latissime disputabimus.

## Quantitas discreta.

**E**st quæ ostendit quot res sint numero, uel quæ numerat res ipsas. Et species eius esse commemorantur

numerus

numerus & oratio. Numerus est mul-  
 titudo ex unitatibus congregata, ut bis  
 sex faciunt duodecim, bis quinq;, decē.  
 Oratio hoc nomine hic refertur, quod  
 & ipsa numerat uoces ac modos. Est  
 harum specierum quantitatis discretæ  
 usus quidam in iure ciuili, dum de præ-  
 scriptionibus & usucapionibus dispu-  
 tatio incidit. Sic ubi cōtentio est an res  
 mobilis præscripta sit, supputantur an-  
 ni, quibus res mobilis ab aliquo posses-  
 sa sit quiete: quod si tres anni fuerint,  
 præscriptio est absoluta. Sic ubi lis inci-  
 dit de præscriptione rerum immobiliū,  
 anni quibus res immobilis possessa est  
 ad calculum uocātur: quod si inter præ-  
 sentes quidē decem, inter absentes ue-  
 ro uiginti anni, res possessa comperit,  
 præscriptio est omnibus numeris per-  
 fecta in insti. de usucap. §. & cum hoc.  
 Sic quando controuersia est an res ec-  
 clesiastica præscripta sit, anni quibus  
 possessa est res ecclesiastica numerant,  
 quæ si centum annis possessa deprehen-  
 ditur, præscriptio solida esse cognoscit,

D

per

per l. inter dominū, C. de sacrosanctis eccle. Sic ubi crimen bis ab aliquo designatum est, consuetudo quædam peccati inducta esse creditur, per l. nemo, §. his ergo, C. de episcop. audi. Et hæc quidem quæ hæcenus retulimus, ad discretam quæritatem, & maxime numerum accommodari possunt. Cæterum ad orationem illa à iuriconsultis iactata uidentur pertinere. Sempronius sibi & Titio stipulatus est, hic soli Titio nõ etiam successoribus eius recte soluitur, per l. cum quis, ff. de obliga. Item cum quis stipulatur hoc modo: Mihi & Titio decem dare spondes, uerisimile est unam decem sibi & Titio stipulari. Sed quis enumeret omnes orationum solennitates in quibus discutiendis iuriconsulti ualde sunt arguti. Quomodo uero testes testari debeant de speciebus quantitatis non ineleganter docet Bartholus in C. qualitas, in tractatu de testibus. Ex ipso prædicamento etiã manarunt aliquot tituli iuris civilis, ut est titulus in Pandectis finium regundorum

rum, Titul. si mensor falsum modium dixerit, in quibus titulis plerima exempla reperiuntur, quæ ægre citra quantitatis cognitionem pro eo atq; decet, discuti possunt. Ex hoc prædicamēto intelliges etiā facilius l. sancimus, C. de dona.

### De qualitate.

**Q**ualitas ita ferè finitur, qualitas est secundum quam quales esse dicimur, ut secundum gibbum gibbosi, secundum iurisprudentiam iurisprudentes appellamur, Bartholus in tractatu de testibus, c. qualitas. Qualitates sine substantia esse naturaliter non posse scribit, quæ regula ualde obseruanda est, ut ex qua intelligit iuuenis quibus in rebus hæreant qualitates, nempe in substantiis. Sic scientia iuris hæret in homine, substantia seruitus inhæret agris & prædijs. Species qualitatis sunt

quatuor, ut etiā Bartholus

ex Aristotele anno

tauit.

D 2

Prima

## Prima species qualitatis.

**H**abitus et dispositio. **H**abitus est, auctore Bartholo, qualitas difficulter mobilis, ut cū quis alicuius scientiæ uel rei absolutam cognitionem sibi comparauit, habitū eius scientiæ & rei tenere dicitur. Est autem aliquis animi habitus, est & corporis habitus. **H**abitus animi sunt omnes uirtutes, omnes artes, quarū diuisionem Bartholus in tractatu de testibus nō indiligenter tractat. **H**abitus autem animi dicuntur, quod in animo hæreant, hærent enim uirtutes & artes in animo, perinde ac color in corpore, ut scribit Aristoteles in libro de anima 2. Ad animi habitum refer iurisprudentiam, quæ est scientia æqui et boni, in l. 1. ff. de iustitia et iu. huc refer alias artes, quæ ita animo inhærent, ut non ita facile excidant. Sic si modo ea quæ sensibus carent, cū illis quæ sensu pollent cōferre fas est, seruitutes prædijs inhærent, quod ita prædijs inhæreant, ut ægre ab illis auelli possunt, in instit. de seruitu. præd. **H**abitus corporis sunt  
qui

qui corpori inhaerent, ut uelocitas, robur, agilitas, palestra. Porro dispositio est qualitas, quae cum non ita firmiter animo inhaereat, facile obliuioni traditur, ut cum quis non ita absolutam aliquid cuius uel rei, uel artis cognitionem sibi peperit. Celebris est regula iurisperitorum, quod is qui habitu polleat, dispositione quoque polleat, sed non e contrario, quae regula nititur, §. uia. instit. de seruitut. insti. Nam ut uia iter & actus in se continet, ita habitus quoque dispositionem complectitur.

### Secunda species qualitatis.

Secunda qualitatis species referuntur passibiles qualitates & passionnes, uocantur autem passibiles qualitates, non quod patiantur aliquid, sed quod uel sensibus aliquam passionem ingerunt, ut est amaritudo, dulcedo, pallor, uel animum ipsum non sollicitant, cruciant, commouent, ut sunt adfectus, ira, odium, tristitia, moeror. Passiones uero sunt,

etiam animi & corporis adfectiones, sed quæ leniter & animū & corpus perstringūt, nec ita perpetuo in animo & corpore resident, ut passibiles qualitates faciunt, ut est pallor, qui ex re inopinata oritur, & cito desinit, ut est iracundia, qua animus subito concitatur, & à qua subito etiā liberatur, ut metus qui est subita mentis trepidatio propter insans uel futurum periculum, l. 1. ff. qd me. cari. de qua specie qualitatis uide l. 1. §. apud Iulianum, & l. ob quæ uitia, ff. de edili. edic. ubi exempla tam passibilium qualitatum, quam passionum plurima offendes. Huius speciei qualitatis in iure ciuili plurimus est usus. Nam ex ijs qualitibus plurimæ suspensiones oriuntur, & argumenta male conscientie sumuntur, ut si quis de crimine appellatus palleat, illico suspitio quædam malæ conscientie excitatur. Item si quem ex testibus & temerarij & lubrici consilij esse constat, illius testimonio non temere statur. Ad hæc qualitates illæ aliquando etiam in legibus ueniant

nia donantur, & excusant homines in criminibus, ut si iracundia commotus, contumacia in aliquem congero, si ad me reuersus non porro perseueraro, ueniam mereor, per l. quicquid, ff. de regul. iur. Item si propter linguæ lubricitatem contumeliosus fuero in aliquem, non illi co-puniendus sum. Nam lubricum linguæ ad poenam facile trahendum non est, sic simplicitas seu imperitia, qualis in rusticis esse solet, regulariter excusat & à dolo præsumpto, l. si quis id, ff. de iurisd. om. iudi. & à uera contumacia.

### Tertia species

**Q**ualitatis est potentia naturalis, & impotentia. Potentia naturalis est facultas à natura nobis data, ad aliquid faciendum, ut pubertas est facultas naturalis ad procreandum homini data. Impotentia naturalis est inhabilitas aliqua faciendi à natura nobis insita, ut impubes doli non capaces, ergo sepulchrum uiolare non possunt, l. pre-

D 4      tor,



tor, §. prima uerba, ff. de sepul. uio. Impubes, quia nondum naturali iudicio animi uiget, intestabilis est in insti. quibus non est permissum facere testamē. Natura frigidus est, ergo, ad rem ueneream non idoneus. Usus huius speciei qualitatis, ut in exemplis adductis est cernere, est in coniecturis & suspicionibus è quibus aliquādo argumenta etiā non omnino uaria petuntur apud iuriconsultos.

#### Quarta species qualitatis:

**A**ppellatur ab Aristotele forma & figura, ut est triangulum. Sūt qui formam & figuram ita distinguāt, quod figura proprie sit rerum inanimatorum, ut triangulum curuum, rectū. Forma uero sit animatorū usus huius qualitatis apud iuriconsultos esse uidetur, dū in actione rei immobilis, formam & figuram rei describunt, que descriptio omittenda non est, per l. forma, ff. de cens. & l. si in rē, ff. de rei ued.

De

## De relatione.

**R**elatio est mutuus rerum inter se respectus, dicta relatio, quod aliud semper referat & respiciat. Sic creditor respectum habet ad debitorem, locator respicit ad conductorem, seruitus respicit ad praedium cui inhaeret. Nam absque praedio seruitus constitui non potest, instit. de seruitu. praedi. Ceterum ualde memorabile est, quod Thomas Aquinas in dialectica sua admonet in relatione esse terminum & fundamentum. Fundamentum esse dicit principium relationis, terminum appellat rem, ad quam fit relatio. Exempli gratia: Venditio & emptio sunt relatiua, nam uenditio est fundamentum unde oritur relatio. Emptio est ipse terminus, in quo terminatur relatio. Sic cum fit mentio de fideiussore, & eo pro quo quis se obligat, fideiussor est fundamentum. Terminus is pro quo fideiussor se obstringit, instit. de fideiussor. sed citius quis hanc mensurabit, quam omnia exempla, quae passim in iure civili hanc ad rem pertinent.

nent, enumeret. Cæterum hoc prædicamentum per omnes prædicamentorū rationes uagatur. Nam nullum est prædicamentum, in quo nō res quæ se mutuo respiciunt, comperiantur. Id quod ut manifestum fiat, exemplis ostendā. In substantiis cōferuntur earum actiones, quarum aliquæ sunt naturales, ut causa & effectus, sic confertur pater cū filio quorum ille gignit, hic gignitur, aliquæ autem sunt actiones uoluntatis humanæ. Sic conferuntur inter se res, quæ uel in nostro patrimonio sunt, uel extra nostrum patrimonium, §. i. insti. de rerum diuisione. Sic res aliquæ sunt communes iure naturali, quædam publicæ sunt, quædā uniuersitatis, pleræque singulorum. Sic aliquæ res acquirunt iure ciuili, de quibus uide titulum, de rerum diuisione, unā cum sequentibus. Ex actionibus uoluntatis humanæ fiūt etiam collationes personarum, sic conferuntur liberi & serui, filius familias pater familias, sic cōferuntur personæ priuatae & publicæ. Publicæ, ut cōsul, prætor,

tor, tribuni plebis, ædiles, decuriones, seu senatores, dictator, magister equitum. Et personæ quæ seruiunt publicis magistratibus, lictor, satelles, uiator, commentariensis, id est, custos carceris. Ad publicas personas referuntur, dux, miles, tribunus, decanus. Priuatæ personæ sic conferuntur, dominus, seruus, patronus, libertus, tutor, pupillus, curator, adultus, cliens seu uasallus, & dominus. Ex actionib. humane uoluntatis fluunt contractus, est autem contractus ultro citroq; obligatio, quem Græci *συνάμακτος* uocant l. labeo, ff. de uerb. sig. Contractuum aliqui sunt innomines, qui quamuis generali contractus nomine solum appellantur, tamen ex subsistente causa robur colligunt, & sunt quatuor.

Do ut des.

Do ut facias. In l. natur. ff. de

Facio ut des. præscrip. uerb.

Facio ut facias.

Nominati contractus uarij sunt. Nā pleriq; rei dominia transferunt, ut Emptio

ptio, Venditio. Donatio, quę sit nullo dato precio, l. 1. ff. de precario. Permutatio de qua in instit. de emptio. & uend. §. pretium. Mutuū, in quo nō eadem species, sed idem genus soluit, l. ij. ff. si certum petat. Aliquī contractus usum rei in aliquem transfundūt, ut Commodatum, in quo eandem speciem reddimus, l. mutuum damus, ff. si certum petatur. Ad hęc rei commodata possessionem & proprietatem retinemus, l. pro rei, ff. de commodato. Nemo enim commodando facit rem eius cui commodat, l. nemo, ff. de comoda. Locatio & conductio. Nam nō solet locatio dominum mutare, ut inquit Vlpianus in l. non solet, ff. locati.

Precarium. Nam precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur, tandiu quandiu is qui concessit patitur, l. 1. ff. de preca. Emphyteusis de qua uide constitutu. de emptio. & uend.

Depositum. Nam nō raro res deposita, utenda, depositario conceditur in l. die sponsaliorum, §. qui pecuniam, ff. depositi.

depositi. Quod si inuito depositore, de  
positarius re apud se deposita utatur, &  
depositi & furti tenetur, l. si sacculum,  
ff. de pos. Pignoratio, etenim credi-  
tor pignoris dominus nō efficitur, sed  
usus pignoris ei permittitur, in instit.  
quibus alie. licet uel nō. Et hæ quidem  
relationes ex substantia oriuntur. Sūt  
& relationes, quæ ex qualitate manāt.  
Sic confertur effectus & causa, ut ma-  
gistratus, populus, lex. Nam causa le-  
gis efficiens est tam magistratus quàm  
populus, quorum ille rogabat, hic ue-  
ro sciscebat id quod facile colligitur ex  
§. lex est insti. de iure natur. Ratio &  
ius naturæ seu gentium, nam utrunq;  
ius seaturit ex ratione operatrice. Ius  
naturæ, & ius scriptum: nam ius natu-  
ræ causa est omnium legum scriptarū,  
ut autor est Cicero in libro de leg. pri-  
mo. Sic confertur contractus & obliga-  
tio, obligatio & actio. Nam obligatio  
est causa actionis, l. licet, §. ea obliga-  
tio, ff. de procurato. Ex prima specie  
qualitatis conferuntur, iustitia diuina,  
iustitia

iustitia humana. Ius scriptum, ius nō  
scriptum, uel ut Iustiniani uerbis utar,  
νόμος ἢ θεσμός. Aristoteles libro Ethí  
corum octauo dicit, τὸ μὲν ἀγραφόν, τὸ ἴ  
νομικόν.

Ius diuinum, ius humanum.

Ius publicum, ius priuatum.

Seruitus & prædium.

Ex secunda specie conferuntur ira  
& furor. Nā ira, furor breuis est, inquit  
Horatius in epistolis.

Victoria causæ forensis & lætitia.

Senectus & morositas.

Iuuentus & alacritas.

Melancholia & iracundia.

Ex tertia specie conferuntur,

Impubes, doli non capax.

Proximus pubertati, doli capax.

Frigiditas corporis & impotentia.

πρὸς τὰ ἀφροδίσια.

Impubes & intestabilis.

Ex quantitate conferuntur.

Numerus par, numerus impar.

Palmus maior & palmus minor.

Cubitus sesquipedalis & uigenum di  
gitorum

gitorum.

Ex actione & passione de quib. prædicamentis mox dicemus, oriuntur etiã relationes, ut accusare, accusari, immittere stulicidium in arenam alterius. Pascere pecora in prato alterius, ducere aquam per fundum alienum, uehere currum per agrum alienũ, fodere arenam in arena fodina alterius.

Ex Vbi sumuntur hæ relationes esse ruri, esse in urbe, uersari in templo, agere domi suæ, uersari in curia, agere intra domesticos parietes. Ex Quando sumuntur relationes, nox, dies, hora, semihora, minutum, &c. Ex situ, prone scribere, erecte scribere. Ex habitu uestitus, Græcus, Romanus, Hispanicus, &c. En uides relationẽ aliud esse nihil, quàm comparationem rerũ, quæ in alijs prædicamentis cõplectunt.

### De actione.

**A**ctio ita olim in scholis finire solebat. Actio est secundum quam  
in id



in id quod subiicitur, agere dicimur, ut litigare in iudicio est actio: nam contra aliquem litem intendo. Sunt aut actio- nes aliquæ naturales, quæ à natura & sensu fiunt, ut gignere liberos, parere, audire, uidere, odorari, appetere, tange- re, gustare. Sūt & ciuiles actiones, quæ ad hominum societatem retinendā ne- cessariæ sunt, quæ admodum sunt mul- tiplices: Nam ut uariæ sunt, & uirtutū & artiū fines seu officia, ita uariæ sunt actiones ciuiles. Iustitiæ officia sunt, animaduertere in improbos, defende- re probos, regere contractus.

Veritatis officia sunt, iudicia exerce- re, constituere contractus & pacta, in- de sunt actiones ciuiles, alterum nō le- dere, suum cuiq; tribuere, quæ præce- pta iuris uocat Iustinianus in §. iuris præcepta, instit. de iustitia. Iudicare, iura exponere, punire fontes accusare tutelam & curam gerere, defendere in- fontes, consulatum, præturam suscipe- re, locare, cōducere, mutuum dare, &c.

Fortitudinis officia sunt, latrocinia,  
& uim

& vim depellere, unde actiones ciuiles oriuntur.

Belligerari.

Vim vi depellere.

Militare.

Beneficentiae seu liberalitatis officia sunt, beneficia beneficijs commutare, & quidem gratuito, hinc ciuiles sunt actiones.

Mutuare.

Commodare.

Pignori res accipere.

Modestiae officium est frenare libidines, hinc ciuiles actiones oriuntur.

Honeste uiuere, quod praecipit iuris, appellat Iustinianus in §. iuris praecipua, insti. de iustitia & iu.

Qui uolet scire alia officia uirtutum moralium, & ex illis actiones ciuiles decerpere, is legat Ciceronem in libro Officiorum primo, & Aristotelem in Ethicis. Porro actiones artium sunt uariarum, nam artis pingendi est pingere, artis sculpendi est sculperere, iurisprudētia est iustum & iniustum cognoscere,

§.1. de insti. de iusti. Ad hoc prædicamentū referri possunt omnes omnium hominum & rerum actiones,

### De passione.

**P**assio est illatio & effectus ipsius actionis, uel ut *ἀπαθήσεσθαι* dicā, id quod ex consequitur & efficitur ex ipsa actione, ut condemnari uel absolui est passio ipsius actionis. Nā utriusque ex actione consequitur. Sic ut pecunia accipiatur mutua, cōsequitur ex actione mutuare. Huc refer omnes effectus actionum, & naturalium, & ciuiliū. Naturalium actionum effectus, ut uideri, tangi, olfieri, procreari. Ciuiliū, ut emi, uendi, alienari quoquo modo. Huc refer omnia uerbalia nomina, ut sunt uisio, auditio, uenditio, emptio, alienatio rerum quarumlibet. Actionis & passionis usus est in iure ciuili, cum contentio oritur, quis rem aliquā fecerit, priuatus ne an magistratus.

Item an quod per alium factum est,  
per

per me factum uideri queat, in l. licet, ff. de iud. l. si quis, ff. si quis eum, qui in ius uocatus fuerit, &c. Item an quis ratum habere possit, quod ipsius nomine gestum non est c. ratum, de regulis iu. in sexto. Sic etiam in iure unū factum altero grauius altero tolerabilius est, alienare dotē uxoris, ea minora q̄ res ecclesiæ. Grauius est patrem occidere, quā amicum. Eadem ratione & cū passionibus fit. Nam occidi præter culpam indignum est, bona feudalia uendi inimicis domini, non equum est. Sed plura de his prædicamentis, dicentur prædicamentū quando interpellat.

## De quando.

**Q**uādo, ut pingui Minerua agā, complectitur differentias & partes temporum, præsens, præteritum, futurum, partes temporum, ut est annus, mensis, dies, hora, semihora, minutū. Vfus huius prædicamenti in iure ciuili late patet. Sic disputatur sæpe quādo

nam cōtra pupilli dolū excepto detur, et Iulianus Iuriscōsultus in l. apud Celsum, §. quæ in tutore, ff. de doli mali excep. scribit eo tēpore exceptionē cōtra pupilli dolum dari, quo dolo non careat. Doli autem pupilli, qui prope pubertatem sunt, capaces existunt. Sic imperator Iustinianus in insti. de testamēto militari, disputat eo demum tempore militi licere testamentū quoquo modo condere, quo in expeditione est. Sic disputant iuriscōsulti, quo tempore quis uim depulerit, an in cōtinenti, an interuallo temporis intercedente. Ad hæc prædicamentum hoc facit ad criminum exaggerationē, sic grauius putatur esse furem diurnū, quàm nocturnum interficere, grauius est occidere diebus festis quàm operarijs. Quid qđ tempus sæpe facit, ut à regulis generalibus recedendum sit. Lex generalis est, neminem cogendum, ut rem suā uendat: At tempore charitatis annonæ, cogentur homines ea quæ ad uictum spectant uendere, ut annona populis suppetat,

petat, l. annona, ff. de extra ord. cri. Sic diuturnitate temporis & usucapio & præscriptio constituit, sed quis omnia referat, quæ passim in iure ciuili ex prædicamento quando decerpta tractant.

## Vbi.

**V**bi, complectitur nomina quæ loca significant, in quantum loca sunt quæ corpora circumscribunt, unde & Gilbertus Borretanus inquit: ubi, est rem aliquo loco circumscribi, ut esse in domo, esse in agro, esse in horto, uersari in curia. Baldus in commentarijs in iura feudalía hoc prædicamentum ualde laudat, ut quod & in iure ciuili ualde necessarium sit. Nec iniuria, plurima enim in iure ciuili occurrunt, quæ propter locum & exaggerantur, & conceduntur. Exaggerantur quidem sic, atrox iniuria estimatur ex loco etiam uelutí si an in theatro uel in foro, uel in conspectu prætoris iniuria facta sit, §. atrox iniuria, insti. de iniurijs. Cō  
**E** 3 cedunt

ceduntur uero, sic qui ruri testamentū facit, citra solennitatem testari potest, l. si. C. de testamen. Tum si quis in hosti co sit, quoquo modo testamentum facere poterit, l. rescripta, ff. de testamen. mil. Sic procurator, quamuis infamia laboret, tamen à munere suo non submouetur, si coram principe uel in eius pratorio uersetur, l. philosophi, §. milites, §. sed & ignominia, ff. de excus. tuto. Alia quæ de prædicamento dici possunt, ex iuriscōsultis iuuenis petet.

#### De situ.

**A**Ristoteles prædicamentum hoc uocat *lesibax*, id est, sitū. Est autem situs corporis positura & status, ut sedere, stare, cubare. Sic stando conferunt consilia senatores, sedendo uero iudices sententiam ferunt. Huius prædicamenti in iure civili paruus dicam an nullus est usus: Non enim uideo ad quid iurisperiti hoc prædicamento uti possint. Oratores, historici, et poëte  
ex

ex hoc prædicamento non infrequenter corporum status describunt. Sic Liuius libro septimo ab urbe: Cur ueteranus inquit, dux fortissimus bello, compressis, quod aiūt, manibus sedet, &c. cōpressis manibus sedere situs est quidam. Sic Virgilius situm corporis Sileni describit ægloga sexta:

*Silenum pueri somno uidere iacentem  
Inflatum hesternis uenas ut semper iacho.*

### De habitu.

**H**Abitus hoc in loco omnem uestitum significat, quo corpus obtegere solemus, ut est tunica, thorax, pileus. De habitu uide l. uestis, ff. de auro & argen. lega. Quā legem ualde eleganter Lazarus Baysius explicauit, cuius commentarij passim in studiosorū manibus teruntur. Explicauī ordine decē prædicamēta, in quibus quando uocum amphibologia etiam atque etiam fugienda est. Aristoteles statim post illorum tractationem, post prædicamēta,



camēta, ut uocantē, explicat, quæ aliud  
 sunt nihil, quàm uocum amphibologi-  
 carū expositio, dicta post prædicamen-  
 ta, quod à prædicamētis decem tradan-  
 tur, & quæ in illis ambigūz significatio-  
 nis sunt, explicent. Cæterū in alia post  
 prædicamenta est Prius, quod quadri-  
 fariam dicitur. Primum omnium il-  
 lud quod tēporis ratione altero prius  
 est. Sic ius naturæ seu gentiū prius est  
 iure ciuili. Nam ius naturæ unā cū ho-  
 minibus statim esse coepit. Ius autem ci-  
 uile prodijt, cum & ciuitates conderen-  
 tur, magistratus crearētur, leges scribe-  
 rentur, s. singulorum, insti. de rerum di-  
 uisio. Sic Sceuola iurisconsultus fuit,  
 Vlpiano prior. Nam ille Iulij Cæsaris  
 tēpore clarus in iuris ciuilibus cognitio-  
 ne fuit, hic uero sub Alexandro impe-  
 ratore floruit. Sic Iustinianus Iustini fi-  
 lius prior fuit Iustiniano, Constantini  
 filio, qui cognomento *ῥινόκερας* di-  
 ctus fuit, quod nares truces haberet, cu-  
 ius in decretis est mentio. Huc refer re-  
 gulam iuris, qui prior est tempore po-  
 tior

tior est iure. Secūdo, aliquid alio est prius ordine naturæ, sic caussa effectū prior existit, sic apud iuriscōsultos, offēnsio minoris 25. annis est prior, restitūtionē in integrū. Nā proxima caussa restitūtionis in integrum est offēnsio, Minoris per l. nam postea, §. si minor, ff. de iureiu. & l. quid si minor, §. non semper, ff. de mino. Sic dominium est prius actione reali. Nam proxima caussa actionis realis est dominium, l. in rem, ff. de rei uend. Contractus uero, ut hoc obiter etiam moneam, est remota caussa actionis realis, per l. iij. §. ex plurimis, ff. de acqui. rerum posses. Secus est in actione personali, cuius proxima caussa est obligatio, per l. licet, §. ea obligatio, ff. de procura. Remota cōtractus, l. consensu, l. actionum genera, §. actionum quædam, ff. de actio. & oblig. Tertio, id dicitur prius, quod altero est præstantius & melius. Sic homo prior est omnibus animantibus, id est, præstat, alijs animantibus omnib. l. iustissime, ff. de edilic. edicto. Sic actio

E 9      possessoria

possessoria prior est petitoria, id est, melior. Nam melior conditio possidentis est. Quarto, aliquid est altero prius ordine, sic genera priora sunt speciebus, ut possessio prior est possessione naturali & civili, quæ species sunt possessionis, l. iij. §. quod uulgo, ff. pro hærede, ut ius est prius iure publico & priuato, §. huius studij, insti. de iusti. & iure.

### De oppositis.

**O**pposita appellamus, quorū unū alteri opponitur *καὶ ἀντιθεταί.* Ut sunt contraria, quæ sunt contrariæ qualitates, quæ prorsus inter se longè lateq; dissident, ut ui & clādestine. Possidere contraria sunt l. ancillam, ff. pro socio. Item bona fide possidere, & mala fide res alicuius possessionem obtinere, utiq; cōtraria sunt. Opponuntur & aliqua relatiuæ, ita quod unū alterum referat. Nec tamen, quod unum est, alterum esse potest, regulariter, ut cliens, seu ut uulgo loquuntur, uasallus

lus & dominus, seu patronus, relatiue  
 inter se opponuntur. Nam una perso-  
 na simul & clientem & patronum age-  
 re non potest. Sic opponuntur & em-  
 phiteuta & dominus, à quo emphiteu-  
 sis conceditur. Opponuntur & ali-  
 qua priuatiue. Porro priuatio, ut hic  
 accipitur, est carentia eius in eo quod  
 natum est habere, ut imberbem esse nō  
 cuiuslibet est, sed eius quod natum est  
 ut barbā habeat. Infantem esse, est eius  
 quod natum est loqui. Huc referre  
 potes regulam, quæ nulli nō in ore est.  
 Omnis priuatio præsupponit habitū,  
 hoc est quod nemo potest dicere, se re  
 priuari, aut priuatum esse, quin prius  
 id quo priuatus est, habuerit. Sic ne-  
 mo potest dicere se de possessione fun-  
 di alicuius deiectum esse, qui nō antea  
 fundum possederit. Nec ullus se ex-  
 oculatum esse conqueri potest, qui nō  
 ante hac oculis præditus fuerit. Huius  
 regulæ propterea hic mentionē inserui,  
 tum quod de priuatione hic disputan-  
 di locus datur, tum ut inuentus regulā  
 illam

illam, quæ omnium iurisperitorum sermone frequentatur, recte intelligat.

Ad extremum aliqua opponuntur contradictoriæ, quâdo id quod in uno adferitur in altero inficiatur, ut iudicis mandato obtemperandum est, l. 1. ff. si quis ius dic. non obtemp. & l. contumacia, ff. de re iud. Et iudicis mandato obtemperandum non est, l. omnes, C. de decurio. libro 10. Itē in filios animaduertitur, quod pater iniuste quid designarit, in Auten. ut omnes obed. iud. §. 1. colum. 5. In filios non animaduertitur, propter iniustitiam patris, argum. l. crimen, ff. de poenis.

De modis eorum quæ simul esse dicuntur.

**P**Rimo aliqua dicuntur esse simul quæ eodem tempore proueniunt & nascuntur. Sic simul esse dicitur matrimonium & consensus: nam ubi matrimonium contrahi debet, consensus quoque adsit oportet. Nam nuptias, nō concu

concubitus, sed consensus facit, l. nu-  
 ptias, ff. de regul. iur. Secundo simul  
 esse dicunt, quæ inter se ἀντιστρέφονται,  
 cuius farinae relatiua sunt nomina, quæ  
 autore Aristotele, πρὸς ἀντιστρέφοντα λέ-  
 γονται, id quod etiam Bartholus adfir-  
 mat in l. cōuenticulam, & gl. in uerbo  
 aternaliter, C. de summa trin. & fide ca-  
 tho. ut si actor est, reus est: si fideiussor  
 est, reus est: si creditor est, debitor quo-  
 que sit oportet. Deniq; simul esse di-  
 cuntur species quæ sub eodem genere  
 collocantur, ut dominium directū uti-  
 le, sub dominio genere collocātur. Do-  
 natio causa mortis, donatio inter ui-  
 uos, donatio propter nuptias, sub do-  
 natione ponuntur in insti, de donatio.  
 Item peculium castrense quasi castren-  
 se profectiuum sub peculio collocan-  
 tur, ff. de peculio. He uoces iam enu-  
 meratæ quia ambigunt sunt, fuerunt ex-  
 plicandæ, ne in prædicamentis aliqua  
 uox amphibola iuuenem perturbaret,  
 & ut in prædicamentis amphibologiã  
 tum remis, tum uelis fugiendã esse, ad-  
 monere

moneremus. At uero ne iuuenis putet  
prædicamentorum cognitionem, alia-  
rum quidem artium studiosis condu-  
cibilem esse, sed iuris cādidatis nihil cō-  
modi adportare de usu quem iuriskon-  
sultus ex prædicamentis capere potest,  
pauca hic appendicis loco adijciam, &  
primo omniū iuuenis iuris studio de-  
stinatus sciat, prædicamēta ad rerum fi-  
nitiones aucupandas ualde cōducere.  
Etenim in prædicamentis & genera, et  
differentiæ rerum ostenduntur, quod  
si differentiæ in promptu esse non pos-  
sint, accidentia illarum in locum suffici-  
mus. At finitiones genere, differentiā,  
& accidentibus constant. Proinde ubi  
iuris studiosus rei alicuius finitionem  
inuestigare uult, illos prædicamentorū  
ordines cōsulat, & facile quomodo res  
aliqua finienda sit, intelliget. Exempla  
gratia, si contractum finire uolet, præ-  
dicamentorum ordines cōsulat, & etiā  
atq; etiā secum reputet, in quo ordi-  
ne collocetur. Substantiā non esse con-  
tractum, res ipsa arguit; Nam per se nō  
existit

existit quantitatem esse, quinam dicere potes, cum nec in longum, nec latum, nec profundum metiri queat. In qualitate reperis res, quæ ad hominis uoluntatem pertinent, talis res contractus est: at quando ad aliud quoddam respectum habet, nempe ad obligationem, genus ad relationem etiam pertinere uidetur. Ex qualitate ergo & relatione finitionem contractus petes. Audiuisti autem iam, quod genus contractus sit obligatio, quare ita dices, contractus est obligatio, sed quando adhuc differentia abest, mutila est finitio. De differentia igitur, quæ ex accidentibus & causis conflatur, prospicies, quæ est mutuum quoddam uinculum, quo ad aliquid mutuo præstandum homines obligantur & obstringuntur, hæc ergo erit absoluta finitio. Contractus est obligatio qua homines inter se ad mutuo aliqua præstanda obstringuntur. Sic uenditio & emptio est contractus. Nam uenditor & emptor inter se mutuo obstringuntur, ita quod uenditor rem uenditam emptori tra-



ri tradere cogitur, & emptor pecuniã pro re empta uenditori numerare urgetur, in C. de contrah. empti. & uendit. Item si ius ciuile finire uoles, id, quãdo non absolutum nomẽ est, habet enim respectum ad ciues alicuius ciuitatis, a quo constituitur, relatio ergo erit. Hic considerabis fundamentum quod sit iuris ciuilib, est autem constitutio quædam populorum alicuius ciuitatis. De inde & terminum cõsiderabis qui est, ut ciuitas aliqua, certo iure munita, trãquilla sit, & ciuilem societatem retinere possit. Ita ergo finies: Ius ciuile est, quod ipse populus sibi ius constituit, ad colendam & cõseruandam ciuilem societatem, §. ius autem, instit. de iure natu. Ab his exemplis iuuenis facile alia exempla, si qua obuia fuerint, finitione explicare discet. Deinde prædicamenta conferunt etiã ad excogitanda argumenta, quibus res aliqua illustratur, Nam si thema simplex proponatur, ut seruitus prædiorũ, ex substantia admonemur, ut quid sit seruitus patefaciamus.

tefaciamus. Est autē seruitus ius quod  
dam prædijs inhærens, quod unī quidē  
prædio utilitatem adfert, alterius vero  
prædiij ius & libertatem minuit, ita Bar  
tholus in l. 1. ff. de seruitu. Ex quantita  
te moneor, ut quas partes uel species  
habeat seruitus, aperiam. Est autem ser  
uitus realis, est seruitus personalis, est  
seruitus prædiōrū rusticorum, est serui  
tus prædiōrum urbanorum. Ex qualita  
te moneor, ut dicam qualis sit res ser  
uitus, quam uel utenti illa commodet,  
uel tolerantī incommodet. Ex relatio  
ne doceor, ut ostendam quorsum respi  
ciat, respicit autē ad prædium. Nam in  
ne prædijs seruitus constitui nō potest,  
§. ideo autē, insti. de seruitu. Ex actio  
ne & passione extimulor, ut demon  
strem quid operet̄ seu efficiat seruitus  
prædiij rustici, seruitus prædiij urbani,  
& quid mihi præstare, & quid tolerare  
cogatur, qui mihi seruitutem aliquam  
debet. Ex ubi, admoneor ut declarē  
quo in loco seruitus uel rustica, uel ur  
bana, uel realis, uel personalis mihi de  
beat

beatur. Ex quādo, quo tempore ser-  
 uitus debeat ubi audis quomodo præ-  
 dicamenta ad argumenta excogitanda  
 oppido conducāt. Ad hæc prædicamen-  
 ta etiam utilia sunt, ad tractationem the-  
 sis & hypothesis. Thesis, id est, quæstio-  
 nis, sine circumstantiis propositæ, ut cō-  
 sensus est de iure naturali, l. i. ff. de pa-  
 ctis. Restitutio in integrum est reme-  
 dium iuris ualde necessarium. Hypo-  
 thesis quæstionis circumstantiis inuo-  
 lutæ, ut impubes, testamentū facere nō  
 potest, §. præterea, insti. quibus non est  
 permis. fac testam. Titius posthumus  
 de inofficioso agere potest, §. tam autē,  
 insti. de inoff. testam. ut si proponatur  
 hypothesis. Titius posthumus de inof-  
 ficioso testamēto agere potest. Quæ  
 hypothesis, ut recte tractetur, prædica-  
 mentorum ordines præstabunt. Nam  
 ex illis loci, quibus res cōfirmari & in-  
 firmari possit, ceu penu quodā instru-  
 ctissimo depromuntur. Mutuantur ue-  
 ro hypotheses & theses, locos à thema-  
 tibus simplicibus, cuiusmodi est locus

A fini

A finitione.

A causis.

Ab effectibus seu proprijs.

A cognatis & pignantibus.

Quorum locorum, ut iam *μὲν* *ἐξ* *ὧν* *λέγεται* dictum est, prædicamenta sunt fontes. Est ergo hypothesis, Titius posthumus præteritus à patre suo de inofficioso testamento agere potest, ad quã hypothesis tractãdam, primo omnium finitio primariæ partis inquirenda est, utputa quid sit testamentum inofficiosum, unde sic argumentabitur: Inofficiosum testamentum est, querela qua liberi cõqueruntur se inique & præter officium parentum esse, aut exhereditos, aut præteritos, §. 1. insti. de inoff. testamen. Sed Titius posthumus inique & præter officium patris à patre est præteritus, ergo Titius posthumus de inofficioso testamento agere potest. Hic etiam à causã huius querelæ colligi potest, nempe cur hæc querela instituta sit & à lege quæ posthumo inofficiosi testamenti querelam permittit, hoc modo,

F 2 do,

do, quia plerumque accidit, quod parentes extimulantur, & quidem falso, ut suos hæredes aut exhæredent, aut prætereant: ergo equitas summa in causa fuit, ut liberis liceret inofficiosum testamentum dicere, hoc est, allegare, cur exhæredari & præteriri non debuerint, l. iij. ff. eo. Et quia lex ipsa copiam facit, posthumus dicendi testamentum inofficiosum: ergo posthumus illa querela uti potest. Cæterum non semper omnibus locis in quamlibet hypothese uti possumus. Nam sunt themata quæ certos tantum locos requirunt. Est autem prudentia summa, ut docet Cicero in Topicis, uidere quos locos quamlibet causa admittat. Quod si thesim tractes, nempe inofficiosi querelam, remedium esse iuris ualde utile, omnibus locis paulo ante præscriptis, uti potes uidelicet,

- 1 Quid sit testamentum inofficiosum.
- 2 Quæ causa, nempe summa æquitas, & necessitas, ne liberi temere à paribus, uel exhæredarentur uel præterirentur.

Ab

Ab effectibus, quod faciat hæc querela, ut liberis id quod eis debetur, non adimatur. A cognatis, habet autem hæc actio quiddam commune cum figura rhetorica, quæ appellatur Color. Nam ut per hanc figuram alicuius facti causam quod nobis commodum comminiscimur. Sic Cicero Cluentiũ propterea per M. Afellium oppianico uenenum dedisse cõminiscitur, quod Afellius Cluentio offensior fuerit, ut ergo per hanc figuram, causam nobis utilem comminiscimur, ita querelam inofficiosi testamenti, quasi quodã colore agimus, quasi pater nõ sanæ mentis fuerit, cum testamentum ordinauerat, l. ij. ff. de inoff. Ab his exẽplis facile intelligit iuuenis, quàm prædicamentorum cognitio iuriscõsulto ualde proficit, ut è quibus & finitiones rerum aucupari, tractationes thesium & hypothesium, quarum & in scholis & foris usus est plurimus, uenari possit. Sed hic aliquis dialecticæ insensior dicet: Ecquid tu de finitionibus rerũ iuris ciuilibus

uiliis ex prædicamentis inquirendis disputas? An nescis regulam illam, quæ omni iuriconsulto in ore est? Omnis diffinitio in iure periculosa est, rarum enim, ut non subverti possit, l. omnis, ff. de regu. iu. Ego uero ad hanc regulam ita respondeo: Quod quando finitio solida & firma constare, autore Quintiliano, debeat genere proprio differentia & breuiter & proprie rei substantiam explicare, periculosum aliquando erit diffinitiones iuriconsultorum excutere, ut qui non ita anxie semper & adumissim res finiunt, Nam iuriconsulti sæpe contenti sunt, si rei substantiam ut eunq; possunt generaliter describant. Sic Ulpianus legem finit esse commune præceptum, l. 1. ff. de legibus, cum priuatae leges etiam leges sunt, & tamen non communia sunt præcepta. Sic Ulpianus filium finit esse eum, qui ex uero & eius uxore nascatur, cum & alij filij sunt non ex uxore nati, ueluti suis naturalib. restituti seu legitimi. Quod si ergo ad dialecticam adumissim finitionem

nem & legis & filij ab Vlpiano produ-  
ctam exiges, subuertetur. Nam definitio  
non debet esse angustior quàm defi-  
nitum. Præterea iuriscōsultū aliquā-  
do ex solo modo, per quem res inue-  
cta est, finitiones architectantur, ut cum  
Florētinus in l. iij. ff. de statu homi. ser-  
uitutem finit esse cōstitutionem iuris-  
gentium, qua quis dominio alieno cō-  
tra naturam subijcitur. Sic finitur & sti-  
pulatio in l. eodem, ff. de uerb. obligat.  
Stipulatio est uerborum cōceptio, &c.

Nam raro ex effectu tantum finitio-  
nes formant iuriscōsulti, ut cum ap-  
pellationem finierunt esse primæ sen-  
tentix, quæ in pendentī fit recissionem.  
Si ergo finitiones iuriscōsultorum ad  
dialecticas præceptiones ueluti ad per-  
pendiculum expenderis, raro contin-  
get, quem subuerti possint, quanquā  
& in iure occurrunt nonnunquam fi-  
nitiones, quæ dialecticos Aristarchos  
facile ferre possunt. Sed ut simpliciter  
& crasse aliqui iuriscōsulti finiant, ali-  
qua habeant oportet, unde rerum sua-



rum finitiones facilius expromant; finitionū uero promptuaria, prædicamentorum sunt ordines, in quos si iuriscōsultus animum intendat, rerum suarū uel descriptionem uel diffinitionē minori negotio inuenire poterit. Audit ergo iuuenis, quod quamuis in iure omnis ferè finitio periculosa sit, tamen finiendi rationem iuriscōsulto ex prædicamentis petendam esse. Hæc quæ de prædicamentorum utilitate & finiendi ratione iuriscōsultorum dixi forsitan prolixius, quàm necesse fuit tractauī, sed tamen quādo commode omitti nō poterant, obiter iuuenibus studiosis iuris ciuilibus ostēdere libuit, ut ex illis quæ cōmodo da ex prædicamentis auferre possint, liquido intelligāt, ut usum etiā harū rerū in forum adferant.

DIALECT. LEGAL. LIBRI  
PRIMI FINIS.

DIA

## DIALECTICA LEGALIS A

Christophoro Hegendor/  
phino conscri  
pta Lib.

II.



Actenus iuuenibus,  
qui iuris ciuilibus studio  
destinantur, ostendimus,  
quibus ex rebus  
& finitiones et diuisiones  
rerum cōstent, &  
unde sumi queāt. Nam ex genere, pro  
prio, differentia, accidēte, finitiones iu  
xta diuisiones conflare diximus, ex pre  
dicamentis uero genera, differentias,  
propria peti ostendimus. Et ut paucis  
dicam, quomodo dialectica ars & fi  
niēdi & diuidēdi sit, explicauimus. Sur  
perest autem, ut & ad argumentationē  
uiam muniamus, id quod futurū est, si  
propositionum ex quibus argumen  
tationes contexuntur materiā & ra  
tionem excutiemus. Sed ad  
rem ipsam accingar.

F 9

Quid

## Quid propositio.

**P**ropositio ita ferè finiri solet, propositio est oratio indicatiua, uerū & falsum significans, ut Cōsuetudo, legem imitatur, §. sine scripto, insti. de iure natu. Porro quondam in scholis trahebatur, propterea propositionem orationem esse indicatiuam, quod illa sola uel uerum uel falsum indicet. At uerū est autoribus philosophis, quando aliquid ita à nobis intelligit, ut re ipsa est. Econtrario falsum est, cum in rei intelligentia hallucinamur, nec eam pro eo atq; est intelligimus. Verbi gratia, cum dico, emptio & uenditio consensu contrahuntur, propositio est uera, ut se res habet, ita quoq; à me per hanc orationem enunciata est. Item cum dico, omnis obligatio tollitur, solutione eius quod debetur, est quoque oratio uera: nam ipsam ipso quod aiunt, acu tetigi, & res ipsa cum intellectu meo consentit. Enim uero cum dico, permutatio est emptioni & uenditioni cognata, falsa est propositio. Nam secus atq; res se habet

habet, à me intelligitur. Etenim Proculi sententia, cui etiam præ cæteris Iustinianus palmam defert. Permutatio est propria species contractus à uenditione separata, §. sed Proculi, insti. de emptio. & uend. Item cum dico: Donatio propter nuptias nō est donatio, propositio est falsa: nam aliter rem intellectu comprehendo, quam debeo, in insti. de dona.

### Diuisio propositionum.

**M**Aiores nostri, quorum sententiam in artibus liberalibus, oraculi loco habeo, propositionem trifariam diuidi adfirmabāt. Partim penes substantiam, partim penes qualitatem, partim penes quantitatem. Penes substantiam propositio diuidit̃ in categoricam & hypotheticam. Categorica est oratio in qua simpliciter aliquid de altero prædicatur, uel ut crassius loquar, in qua aliqd alteri simpliciter attribuit̃, ut raptor bonorum alienorum, est fur improbus,

improbus, §. 1. instit. de ui bono. rap, ubi fur improbus attribuit raptori bonorum alienorum, ubi etiã hoc obseruabit iuris cãdidatus, in categorica propositione esse uoces, quarum prior uocetur ab Aristotele *ὑποκειμένον*, id est, subiecta, uox posterior, *κατηγορημένον*, id est, uox quæ alteri attribuitur, cū dico: Mutuum est cõtractus. Prior uox est subiectũ, id est, uox de qua aliquid dicitur, posterior uox prædicatũ. Porro est uerbum copula, uocat quod subiectum & prædicatum copulat. Ridiculum uero est, quod quondam à plebisque tradebatur propositionem categoricam ex tribus tamen uocibus subiecto, copula, prædicato constare, cum & ex plurib. uocibus propositio optime conflare possit. Verbi gratia, quid obstat cur non etiam propositio sit illud; dum Adriani in l. xiiij. ff. de pœnis. In maleficis uoluntas spectatur, non exitus: quando & in hac oratione sententia est absoluta & integra, dicendum hic nobis erat de hypothetica propositione

tionem, sed de illa paulo post oportunior  
disputandi locus dabitur.

Alia diuisio propositionum.

**P**enes qualitatem propositio in ad-  
firmatiuam & negatiuam diuidi-  
tur. Adfirmatiua propositio est in qua  
praedicatum adfirmatur subiecto inhæ-  
rere, ut plus cautionis est in rem quam  
personam, l. plus, ff. de regu. iur. In qua  
propositione cautio praedicatum adfir-  
matur inherere rei. Item cum dico: Me-  
lior est conditio possidentis, hic rursus  
praedicatum melior conditio attribuitur  
adesse possidenti. Negatiua proposi-  
tio est, in qua praedicatum negatur sub-  
iecto inhære. Creditor non est do-  
minus pignoris, §. 1. insti. quibus alie-  
na, &c. Hic dominium pignoris nega-  
tur subiecto inhære. Item maritus  
non est dominus bonorum parapher-  
nalia uxoris ea inuita. Iurisconsul-  
ti, ut hoc obiter moneam, conditionem  
impossibilem in contractibus adfirma-  
tiue

tiue pronunciatam, non inutilem esse adfirmant, ut si dicas, si cœlum digito tangas, tibi hoc uendam, &c. At negatiue pronunciatam, utilem existere, ut si dicam, si digito cœlum non attingas, in societatem nostram recipieris.

Et quando adfirmatiua conditio est impossibilis, negatiua quæ ei aduersat̃ possibilis & necessaria, parit cōtractū, & naturalem obligationem producit, l. impossibilis conditio, ff. de uerb. obligat. Hoc propterea hic monere uolui, tum ut iuuenis negatiuam propositionem non raro adfirmatiua potentiorē esse cognoscat, & ut uideat quod, quid sit adfirmatiua, quid negatiua cōditio in contractibus, intellecturus nō sit, si non dialecticæ peritus fuerit.

### Alia diuisio propositionum.

**P**enes quantitatem propositio diuiditur in uniuersalem, particularem, indefinitam, singularem. Uniuersalis propositio est, in qua subiecto  
signum

signum particulare præponitur, uideli-  
 cet omnis, nemo non, quis non, nihil  
 non, quantum est rerum, ut omnis ma-  
 ritus est tutor uxoris suæ, ex iuris Saxo-  
 nici fãncione, secus est in l. maritus, C.  
 qui tuto. dare poss. Nemo non tutor  
 suspectus fieri potest, §. ostendimus, in  
 fit. de suspectis tuto. Quis non in pecu-  
 niarijs controuersijs procuratorem cõ-  
 stituere potest: l. in pecuniarijs contro-  
 uersijs, C. de procura. Nihil non bono-  
 rum in dotem marito fœmina dare po-  
 test, l. nulla lege, C. de iure dot. Quan-  
 tum est seruitutum, non utendo decem  
 nio, cõtra præsentis uiginti annorum  
 spacio contra absentes amittuntur l. si-  
 cut, C. de seruitu. & aqua. Particula  
 ris propositio est, in qua subiecto si-  
 gnum particulare proponitur, uideli-  
 cet quidam, quædam, quoddam, ali-  
 quis, aliqua, aliquod, nonnihil, non-  
 nullus, plerique. Vt quædam usuræ fune-  
 bris pecuniæ peti non possunt, l. quam-  
 uis, C. de usu. Item aliqua iniuriã est  
 atrox, §. atrocem, ff. de iniu. Quædam  
 actiones



actiones tempore finiuntur, ut edilitie pleręq; omnes, l. in tēpore, ff. de diuer. tempo. præscrip. Nonnullum priuilegium extinguitur cū persona, uide Dynum in c. priuilegium de reg. in. infexto. Indefinita est, quæ profertur citra signum, uel uniuersale, uel particulare, ut priuatorum conuentio iuri publico non derogat, l. pignus, ff. de reg. iuris. Itē personis data immunitas, cū personis extinguitur. Item rebus data immunitas nunquam extinguitur, l. ætatem, ff. de censibus. Apud iuriconsultos non parua contentio est an indefinita propositio tantum polleat, quantum uniuersalis. Ego ut illam prolixā disputationem in compendium cōtraham, iuuenem primo omnium latere nolo, quod cum nō est eadem ratio & conditio omnium particularium, quæ in uniuerso complectuntur: Indefinita non equipolleat uniuersali adfirmatiuæ, ut si alicui lego omne marmor in uniuersum, & ut Græci dicunt *λεβόρα* uideor legare & statuas, & si quid est aliarum

aliarum specierum è marmore factarū,  
 l. hæres meus, §. i. de leg. iij. l. i. ff. de au-  
 ro & argento lega. Quod si uero lege-  
 tur marmor ἀόριστος, id est, indefini-  
 te, in legato rudis tantū marmoris mate-  
 ria comprehenditur, species è marmo-  
 re factæ non complectuntur, l. qua sitū,  
 §. illud fortasse, ff. de leg. iij. Ad hoc si la-  
 na leget̄ indefinite, lana tincta in lega-  
 to non comprehenditur, l. sicut, ff. de le-  
 ga. iij. Et tamen si omnis lana leget̄, tin-  
 cta quoq; complectitur, l. pediculis, §.  
 labeo, ff. de lega. iij. Deinde obser-  
 uet iuuenis. quod quando omniū par-  
 ticularium eadem est & ratio & condi-  
 tio, indefinita, adfirmatiuè enunciata,  
 uniuersali & quipolleat. Verbi gratia, si  
 testator instituat hæres plures, & po-  
 stea ἀόριστος, & indefinite dicat: Hæ-  
 res meus damnas esto Titio decem da-  
 re. Hic omnes in uniuersum compre-  
 henduntur, hac gratia, quod omnium  
 est eadem conditio, & testator potest  
 omnes, eodem modo damnare. Nam  
 omnes hæredes sunt, & à testatore re-

mo non commodum aufert, l. si pluribus, & l. si ita relictum est, ff. de leg. ij.

Sic quoque indefinitæ negatiue pronuntiatae, uniuersalis negatiua æquipollet, l. is qui, §. uerum, ff. de reb. dub.

Postremo in legibus quoque indefinita uniuersali respondet. Etenim legum est, ut de uniuersis constituent & præcipiant l. ij. ff. de leg. In dispositione, quæ ipsi proferenti fauorem conciliat, non est alienum à fide indefinita æquipollere uniuersali, ut si pater dicat: Filium meum hæredem instituo, filio meo tutores do, credibile esse debet, quod in uniuersum omnibus suis filiis prospexerit, l. si quis ita, ff. de testam. tuto. Hæc ferè sunt quæ interpretes iuris de æquipollentia uniuersalis & indefinite propositionis in medium adferunt, quorum iuuenem iuris studiosum, ne plane harum rerum hospes sit, paucis submonere uolui. Propositio singularis est in qua terminus singularis, id est nomen proprium, subiecti loco collocatur, ut Iustinianus imperator falsò à

Suida

Suida ἀναλφαβητὸς appellatur, Vlpianus iuriscōsultus elegāti dialecto usus est. Trebatius iuriscōsultus iudicio præcipiti & improvido fuit, unde etiā in Pandectarum libris non raro illius sententia improbatatur. Labeo constanter fuit Capitone. Resipiunt singulares propositiones, & id generis orationes, hoc prædium debet mihi seruitutē. Hic colonus est partarius, id est, quocum aliquid cōmune habemus & partimur.

Alia diuissio propositionū.

**P**Ræter enumeratas propositionū diuisiones, pleriq; propositiones & hoc modo diuidunt, quod propositionum aliqua sint necessaria, aliqua sint contingentes. Necessaria sunt, in quibus prædicatū est uel genus, uel differentia, uel proprium, uel etiam finitio, ita ut subiecto necessario insit, ut societas est contractus, consuetudo est lex non scripta, tacito consensu populū approbata, ubi differentia de specie (nā

consuetudo species est iuris ) prædicat.  
 Etenim consuetudo in hoc differt à le-  
 ge scripta, quod lex scripta in scriptu-  
 ram redacta aperto populi consensu re-  
 cipitur. Consuetudo uero sine scripto,  
 tacito populi consensu approbatur, l.  
 de quibus causis, ff. de leg. Item cū  
 dico: minor uiginti quinq; annis est, q  
 annum uicesimum quintū etatis agit, l.  
 si maritus, §. minorem, ff. ad legem lul.  
 Necessaria quoq; est propositio, nam  
 finitio subiecto attribuitur. Sic cum  
 dico: Pactum est duorum plurium uē  
 in idem placitum consensus, l. 1. ff. de  
 pactis. Necessaria est propositio, nam  
 tota finitio, subiecto attribuitur. Cō-  
 tingens propositio est, in qua prædica-  
 tum est accidens, Ager Sempronij est  
 uectigalis, prædium Titij est rusticum,  
 Pomponius iuriscōsultus fuit φιλοσολο-  
 γιστής, in l. apud, ff. de fid. lib. Sic *πα-  
 ραχρηματιστικόν*, ut Vlpiani uerbo utar, pro-  
 positionum & naturam, & diuisiones  
 explicauī. Iam ut etiam iuuenis iuri ci-  
 uili destinatus sciat quidnā illa qua ha-  
 ctenus

Et enus de propositionibus dixi, sibi cōmodare queant, pauca quædam addā.

Quid cognitio propositionum iuriconsulto commodet.

**N**on pro eo atq; decet uerbis consequi possum, quàm multū commodi iuriscōsultus ex propositionum cognitione accipiat. Nā primo omnīū perspecta ratione propositionum in legibus facillime perspiciet, quā ad unā speciem uel casum aut probāndum aut improbandum argumenta belle referantur, & quàm *συντόμως* omnia coherant id quod ut perspicuū fiat, exemplum unum adducam, in l. sed &, §. Iulianus ait, ff. quod met. cau. Est thema uel propositio quod creditor uidebitū exigens à debitore in legem Iuliam incidat, & ius crediti amittat. Hac propositio in sequenti l. probatur argumentis, quorum primum est dictum ab auctoritate diui Marci, qui hoc ita esse statuerit, ergo uerum esse secundum est ab

exemplo Marciani, qui cū debitori suo  
 vim adhibuisset, & de vi accusatus co-  
 ram Cæsare dixisset: Vim nullam feci  
 Cæsar; mox diuus Marcus argumento  
 à finitione, & hoc est argumentum ter-  
 tium, probat, vim fieri non tantū quan-  
 do homines uulnerentur, sed & cū id  
 quod alicui debetur, non per iudicem,  
 sed vi repostulatur, mox conclusio se-  
 quitur, ergo creditor vim adhibens de-  
 bitori ius crediti non habet. In hoc exē-  
 plo iuuenis uidet, quomodo deprehen-  
 sa & constituta propositione argumen-  
 ta accommodatissime ad propositionē  
 probandam adiungantur. At cum ra-  
 tionis propositionū ignari sumus, hoc  
 in legibus quinā animaduertere possu-  
 mus: Deinde cū in scholis de re aliqua  
 disputationē exorditur iurisconsultus,  
 permagni refert, ut si intelligi uelit, pro-  
 positionem aliquam, quæ disputatio-  
 nis prora & puppis sit, constituat. Ad  
 hæc si ut ferè ad quæstum iurispruden-  
 tiam conuertimus, in foro actoris par-  
 tes agat, ex propositionum cognitione  
 docebitur,

docebitur, ut secundum negotij expositionem propositionē proferat in qua totius negotij summa consistat, id quod præterquam quod iudici, caput causæ ob oculos ponit, & ut probetur, ostendit etiam ipsi actori, materiem dicendi suggerit. Tum ubi rei uel exceptiones, uel alias defensiones audiuit iuriconsultus actoris partibus defungens, ex propositionibus perspectis, leui, ut aiunt, brachio quæ summa sit contradictionis, ipsius rei exponet, & mox constitutis propositionibus alijs, rei argumenta diluet. Quod si uero defendat personam in iudicio iuriconsultus, rursus ualde proderit, in propositionibus bene exercitatum esse: nam id faciet, ut minori negotio, in quo pedem defigat aduersarius, & intelligat & uel exceptionem suam, uel aliud quid artificiosius proponat. Verbi gratia, ubi iuriconsultus rei uicem defendet, & quid actionis in reum actor intendat percipit, mox breuiter repetita actione proponere potest, actori non licere ut uel reum coram



hoc iudice in ius uocet, uel hac de re ad iudicem pertrahat, deinde constituta propositione argumenta subiungit, & fit ut omnia intelligibilia iudicibus faciat, & ad tristem literam facilius effugere queat. Postremo, si iurisconsultus uel coram principe uel populo de aliqua re uerba facturus est, ualde decorum erit, dicam an ualde ad intelligentiam eorum quæ dicuntur, faciet, si primum propositionem cõstituat, ut qua de re oratio futura sit, cognosci possit.

Et hæctenus quidem ostēdi, ad quid conducat iurisconsulto, si illam dialecticæ partem quæ propositionum connexionem docet, perspectam habeat. At hic dixerit aliquis, ecquorsum attinet, tam uaria propositionum genera cognita habere: Audi, illa uarietas propositionum ad hoc conducet, ut etiam iurisconsultus sciat, quid *καθολικῶς*, quid *μερικῶς* dicatur: Et quæ necessario, quæ contingenter cohæreant, & sic quam uel ipse, uel aduersarius fortibus argumentorum, quæ propositionibus constant,

constant, copijs instructus sit compe-  
 riat. Verbi gratia, si iurifconsultus ita  
 colligat, Titius est Sēpronij agnatus,  
 ergo est hæres, alter qui hoc argumen-  
 ti genus audit, ubi propositionum cō-  
 nectendarum gnarus est, facile intelli-  
 git priorem propositionem, Titius est  
 Sempronij agnatus, esse cōtingentem,  
 proinde non necessario effici postero-  
 rem, quod Titius Sempronij sit hæres.  
 At uero, si ita colligit iurifconsultus, lo-  
 catio & conductio contrahitur consen-  
 su. Sempronius dum locatur ei à Titio  
 horreum consensit, ergo Sempronius  
 cum Titio contraxit. Hic iurifconsultus  
 propositionū gnarus intelligit unā  
 propositionem in hac argumentatio-  
 ne, necessario ex alia sequi. Eteñ causā  
 efficiens de effectu prædicatur. Nam  
 consensus efficit, ut contractus locatio-  
 nis & conductionis factus tectus sit.  
 Porrò usum uniuersalium, particula-  
 rium, & aliarum propositionum in se-  
 quenti libro *ἔργων*, cōmōstrabimus.  
 Propero iā ad accidētia propositionū.

De accidentibus propo-  
sitionum.

**P**ropositionibus accidunt opposi-  
tio, conuersio, & equipollentia.

De oppositione propo-  
sitionum.

**O**ppositio est, quādo duæ propo-  
sitiones inter se pugnant & op-  
ponuntur, uel in qualitate uel quantita-  
te, cuius species quatuor enumerātur:  
Cōtrarix, subcontrarix, subalternæ, cō-  
tradictorix propositiones. Contra-  
rix sunt, duæ uniuersales, quarum una  
est adfirmatiua, altera est negatiua, ut  
omnes contractus secundum uolunta-  
tem contrahentium potius quā uer-  
ba considerandi sunt, l. in conuentioni-  
bus, ff. de uerbo, signi. Et nulli contra-  
ctus secundum uoluntatem cōtrahen-  
tium potius quā uerba considerandi  
sunt. Item, omnis uere contumax in ex-  
pensis cōdemnandus est, & nullus ue-

re contumax in expensis condemnandus est. Cæterum hoc in scholis dialecticorum ualde frequentatur. Contrarias ueras nō unquam existere posse, falsas uero in materia contingentis, hoc est, dum prædicatum est accidens, existere posse, ut omnis qui uadimonium non obit, contumax est. Et nullus qui uadimonium non obit, contumax est, utraq; propositio est falsa. Nā sunt causæ plurimæ, quæ illos qui uadimonium non obeunt, nec se iudicio sistunt, à contumacia uindictant, uide l. non exigimus, §. si quis, ff. si quis cautio. Tum & illa falsa est, Nullus qui uadimonium non obit, cōtumax est. Nā regulariter ille qui se iudicio non sistit, contumax esse iudicatur. Eiusdem monetæ sunt & illæ propositiones, omnis exceptio peremptoria post litem contestatam est producenda. Et nulla exceptio post litem cōtestatam est producenda utraq; est falsa. Nam non omnis exceptio peremptoria post litem cōtestatam, seu iudicium receptum, est produ-

producenda. Si quidem sunt liberae ex-  
 ceptiones peremptoriae, quae etiam an-  
 te iudicio acceptum produci possunt,  
 ut exceptio rei indicatae, exceptio trāsa-  
 ctionis, exceptio iurissurandi, quae ex-  
 ceptiones ante litem contestatam pro-  
 ductae litis contestationem impediunt.  
 Nam simul ac probatae fuerunt, efficiunt  
 ut reus à iudicio liberetur. Subcon-  
 trariae sunt duae particulares propositio-  
 nes, quarum una est uniuersalis adfir-  
 matiuā, altera particularis negatiua, ut  
 quidam noctu etiā ut se iudicio sistant,  
 citandi sunt, ut sunt hospites & peregrī-  
 ni, & etiam incolae fugam adornantes.  
 Quidam noctu ut se iudicio sistant, ci-  
 tandi non sunt, qua de re uide Specula-  
 torē. Itē, quidā rei ab actore propria  
 autoritate citra iudicis autoritatē capi  
 possunt l. ait p̄tor, §. si debitori, ff. de his  
 qui in fraudē credito, & glo. in insti. de  
 actionibus in prin. in uerbo in iudicio.  
 Sic creditor debitorem de fuga suspe-  
 ctū sua ipsius autoritate capere potest.  
 Quidam rei ab actore propria auto-  
 ritate

ritate citra iudicis auctoritatem capi nō  
possunt. Dialecticorū uox est, sub/  
contrarias in materia cōtingenti simul  
ueras existere, ut in exemplis iam à me  
relatis, perspicuū est. Sed addamus alia  
exempla, quædam donationes indigēt  
monumentis, l. in hac sacratissima, C.  
de donatio. quædam donationes non  
indigent monumentis, l. sancimus, l. si  
quis, C. de dona. Item quidā sine man/  
dato pro alijs agere possunt, l. exigēdi,  
C. de procura, quidam sine mandato  
pro alijs agere non possunt, ut sunt ex/  
terni, qui aliorum defensionem susci/  
piunt. Contradictoriæ sunt, & duæ  
singulares propositiones, ut Titius est  
procurator ad totam causam consutu/  
tus. Titius nō est procurator ad totam  
causam constitutus, cuius generis pro/  
positiones nunquā simul uel ueræ uel  
falsæ esse possunt. Subalternæ non  
propriæ inter se opponuntur. Nā sunt  
particulares sub uniuersalibus colloca/  
tæ, unde apertissime colligimus: Omnis  
sententia expressim contra iuris rigo/  
reat

rem data ualere nō debet, ergo nec hęc  
sententia contra rigorem iuris data ua/  
lebit, l. si expressim, ff. de appellat. Itē  
omnes seruitutes non utendo amittun/  
tur, l. sicut, C. de seruitu. ergo hęc serui/  
tus non utendo amittetur. Sed ut oppo/  
sitiones propositionum clarius perspi/  
ci possint, eas in figuram redigam.

Omnis qui aliū de=  
fendit satis dare co  
gitur.

Nullus qui alium  
Cōtrariæ defend. t. satis  
dare cogitur.

Subalternæ

Contra

dictoriæ

Contra

dictoriæ

Quidam qui alium  
defendit satis dare  
cogitur.

Subcōtrariæ  
Quidā qui aliū  
defendit satis  
dare nō cogitur.

In l. proprio, §. qui alium, ff. de pcura.  
De usu

De usu oppositionum  
propositionis.

**F**X oppositionibus propositionū iuriscōsultus primo omnīū intelliget, si quæ *ἀντινομία* in legibus occurrerint, quarum exempla non parū multa Gulielmus Budæus in Annotationibus Pandectarū obseruauit. Deinde quando in forensibus actionibus uersatur, iuriscōsultus ex oppositionibus propositionum admonebitur, ne ipse pugnantia & contraria inter dicendum effutiat. Nam pugnantia allegans non est audiendus, l. ubi repugnantia, ff. de reg. iur. Tum si quando ab alio pugnantia produci intelliget, habebit occasionem iustam criminandi ea quæ producta sunt. Postremo in quacunque tandem incidat iuriscōsultus, ex oppositionibus propositionum extimulabitur, ut pugnantia facile olfaciat, et ipse ne, quæ inter se pugnent, dicat admonebitur. Non raro in testimonijs producendis, contraria audimus, quæ uix re-  
cte



cte intelligi possunt citra oppositiones propositionum cognitionem. Verbi gratia, si unus testis dicat, Sempronius cum Titius occideretur fuit Romæ, & alter dicat Sempronius cum Titius occideretur fuit Parisijs, sunt pugnantia, quæ ut exacte intelligantur, species oppositionū propositionis perspeçte efficiant. Sic quando Clodius accusaretur uiolata religionis Bonæ dex, respondebat se eo die Romæ non fuisse cum à se Pompeiam stupratam esse insimularetur. Cicero uero & testes aliij Clodium eo die Romæ uisum fatebantur, taceo hic quod cum interpretes iuris ciuilibus, non raro uel *δις διαστάσεως* dissidentia scribant, haud facile à nobis percipientur, si non oppositionum propositionis periti sumus. Breuiter, quoniã non in uita tantum & moribus requiritur, ut nobis cõstemus, sed & in sermone maxime prospiciendum est, ne longelateq; dissidẽtia inter se copulemus, ualde utile est iurisconsulto, si propositionum oppositiones, adamũssim per  
spectas

spēctas habeat.

De æquipollētia propo-  
sitionum.

**A** Equipollētia propositionū est, quando duę propositiones, quę antehac dissidere uidebantur idem pol-  
lere, & ut Græce loquar *ισοδυναμείη*, ostenduntur, nobis pueris æquipollen-  
tia propositionum tribus regulis trade-  
batur, quas propter uetustatem & reue-  
rentiam, quam maioribus nostris debe-  
mus, hic repetam.

Prima regula.

**N**egatio postposita signo uniuersali, facit ut contrarię propositiones idem polleant. Contrarię sunt, omnis noxalis actio caput sequitur, & omnis, insti, de noxa, actio, ut nulla noxalis actio caput sequitur. Tu postpone negationē signo uniuersali hoc modo: Nulla non actio noxalis caput se-  
quitur,

quitur, & liquido perspicies propositiones cōtrarias idem pollere. Nam & ex grammaticis satis constat nullā non actionem, & omnem actionem idem esse. Præterea si dicas, omnis noxialis actio caput non sequitur, æquipollet huic, nulla capitalis actio caput sequit̃. Est inter iuriconsultos magna contentio an huic primæ regulæ æquipollentiarum propositionum etiam in iure civili sit locus, perinde ac iura civilia à grammatico sermone aliena sint. Zafius ille inter nostri seculi iuriscōsultos, præclari nominis plurimis exemplis ostendit, illam primā regulam æquipollentiarum propositionum, & in ll. usitatam esse, id quod non magno negotio ostendi potest. Nā cum leges à plarino & usitato loquendi more nō abhorreant, nō magni laboris est, in legibus ostendere, quod non omnis & nullus, & quod nullus non & omnis inter se æquipolleant. Sed uideamus tamē exemplū in l. obligari, ff. de auto. tuto. hæc sunt uerba, obligari ex omni contractu pupillus

pupillus sine tutoris autoritate non po-  
 test, ubi Accursius interpretať, ex nul-  
 lo contractu pupillum sine tutoris au-  
 toritate obligari, & recte quidem: nam  
 non omnis & nullus inter se æquipol-  
 lent, est lex legitimus, §. an igitur, cum  
 glossa, ff. de legit. tute. ubi hæc uerba cõ-  
 perimus: & magis est ut si non omnes  
 satis dederunt, hic Accursius quoq; an-  
 notauit & quidem non infeliciter, id  
 est, si nullus satis dedit. Sed quid in re  
 ista puerili, exēplis tam pluribus utor?  
 Cæterũ quod Bartholus ex l. si seruus,  
 §. si plurium, ff. si quis cautio. &c. regu-  
 lam illam & grammaticã loquendi cõ-  
 suetudinem oppugnare conatur, ridi-  
 culum est planè & indignum, quod à  
 tanto iuriconsulto proferatur. Etenim  
 quis non ex contextu uerborum legis  
 intelligit, omnes statos nō esse, &c. nō  
 simpliciter dici, sed ad illa quæ sequun-  
 tur referri. Nam cum quidam promi-  
 sisset, se omnes seruos sistere uelle, &  
 cum aliquos non stitisset consequitur  
 à uero non alienum esse, omnes statos  
 H 2 non

non esse, id est, aliquos domi relictos.  
 Hæc ergo oratio relatoria ad regulam  
 illam primam æquipollentiarū, ut que  
 in absolutis orationibus nunquam nõ  
 uera est, prorsus non pertinet.

### Secunda regula.

**C**Um negatio signo uel uniuersa-  
 li uel particulari, aut præponitur  
 aut postponitur, subalternas inter se æ-  
 quipollere facit, ut omne promissum  
 cadit in debitum ius, & quoddam pro-  
 missum cadit in debitum ius. Tu præ-  
 pone & postpone huic propositioni ne-  
 gationem. Omne promissum cadit in  
 debitum ius. Non omne promissum  
 cadit in debitum ius, & ab illa non dissi-  
 debit, quoddam promissum cadit in de-  
 bitum ius. Vel hoc modo: Non quod-  
 dam promissum cadit in debitum ius,  
 æquipollet huic, omne promissum ca-  
 dit in debitum ius. Subalternæ sunt: Nul-  
 lus pluribus defensionibus uti prohi-  
 betur, l. nullus de reg. iu. in sexto. Et  
 quidam

quidam pluribus defensionibus nō potest uti, quæ propositiones ita in cōcordiam redigi possunt. Nonnullus pluribus defensionib, uti non potest, & quidam pluribus defensionibus non potest uti. Vel hoc modo: Non quidā pluribus defensionibus haudquaquā non potest uti, & nullus pluribus defensionibus potest uti.

Tertia regula.

**N**egatio præposita signo uniuersali aut particulari, facit ut cōtradictoriæ inter se æquipollent. Contradictoriæ sunt: Omnis qui tradit instrumentum, rei traditionem tradit, l. emptionum, C. de dona. & quidā qui tradit instrumentum, nō rei traditionem tradit. Quod si ita dicas: Non omnis qui tradit instrumentum, rei traditionē tradit, æquiualebit huic: Quidam qui tradit instrumentum, non tradit rei donationem. Contradictoriæ sunt quoddā subrogatum refert naturam eius in cu-

ius locum subrogatur. Et nullum subrogatum refert naturam eius, in cuius locum subrogatur. Quod si dicas: Nō quoddam subrogatum refert naturam eius, in cuius locum subrogatur, & qui pollebit huic, nullum subrogatum refert naturam eius, in cuius locum subrogatur. His regulis quondam nobis pueris & qui pollentia propositionū tradebatur, quas ut non contemno, ita ex grammatica, ut quæ cū uocum magistra & interpret est, citius & qui pollentiam propositionum peti arbitror, quam ex dialectica, quæ purum & natium loquendi usum à grāmatica mutuatur. Etenim apud grammaticos traditur, quod non omnis & quidam inter se conueniant, & quod nullus non & omnis inter se & qui polleant. Quibus de uocibus Erasmus Roterodamus in cōmentario priori de copia uerborum permulta tradit. Iurisconsultus ex & qui pollentis propositionum, si nihil aliud, at hoc fructus auferre potest, quod ex illis exempla legū, in quibus  
 illa

illa mutua signorum ex præposita uel  
 postposita negatione equipollentia in  
 orationibus conspicitur, obseruare po-  
 test. Quarum rerum exempla non ita  
 multo ante attulimus, quibus appendi  
 cum loco & hæc addi possunt, est l. o-  
 mnes, ff. de popu. acti. ubi hæc uerba  
 habentur: Omnes populares actiones  
 neq; in hæredes dantur, neq; supra an-  
 num dantur, hic cernis uestigium regu-  
 læ, quam paulo ante, *ωεπι τοσούτοις*  
 cōtrariarum propositionū, attulimus.  
 Est enim sensus legis, nullas actiones  
 populares in hæredes dari, &c. Sic in l.  
 error in fi. §. sed facti, ff. de iuris & facti  
 igno. ita habes, omnibus iuris error in  
 damnis amittēdæ rei suæ nō nocet, hoc  
 est, nulli nocet error iuris in dānis amit-  
 tendæ rei suæ. Sed quid illa quæ gram-  
 maticæ sunt, tā anxie persequor?  
 uenio ad conuersionem pro-  
 positionum.



De conuersione propo-  
sitionum.

**C**onuersiono propositionũ est, quã-  
do duæ propositiones inter se cõ-  
uertuntur, Græci uocant *συνεραφήν καὶ  
μεταβολήν*. Aristoteles cõuersionis spe-  
cies tres recenset, sed nos duas tantum  
recensuimus. Nam illa quæ per cõtra-  
positionem uocatur, argutandi magis  
gratia, quàm quod eius ullus sit usus  
in ciuilibus disputationibus, excogita-  
ta est. Dicimus ergo species conuersionis  
esse duas, unam quam uocant sim-  
plicem, alterã quã uocãt per accidens,

## Simplex conuersiono,

**S**implex conuersiono est, quando sim-  
pliciter propositiones permutant, mutatis quidẽ uocibus, sed nõ signis. Quomodo uniuersalis negatiua in uniuersalem negatiuam, & particularis ad firmatiua in particularem adfirmatiuã conuertitur, ut, nullum pactum contra bonos

bonos mores est obligatorium, l. si unus, §. pacta, ff. de pactis, ergo nullum obligatorium contra bonos mores est pactum. Item nullus usufructuarius est propriarius, §. 1. insti. de usufr. ergo nullus propriarius est usufructuarius. Præterea quoddam consilium est obligatorium, ergo quod obligat est consilium. Vide Dynum in regula, nullus ex consilio, de regulis iuris in sexto,

### Conuersio per accidens.

**C**onuersio per accidens est, quando in propositionib. & ordo uocum & signa etiam permutantur. Quo modo uniuersalis affirmatiua & uniuersalis negatiua in particularem conuertitur, ut omnis qui mortis causam præbet, est homicida, l. nihil interest, ff. ad l. Corneliam, ergo quidam homicida mortis causam præbet. Item, nullus qui possidet bona immobilia, iudicio sisti satis dare tenetur, ergo quidam qui non tenetur satis dare iudicio sisti possidet

H § det

det bona immobilia. Non uideo quomodo conuersionum ipsarum propositionum cognitio iuriconsulto ualde usu esse possit, nisi forsitan ei ad hoc pdesse dicere uolumus, quod ~~ex~~ illis nō raro in ciuilibus actionibus aliquā propositionem non ita perspicuam & probare & clariorem reddere potest, ut si omnis cuius ope & consilio furtum factum est, furti tenetur, §. interdum, insti. de obliga. quæ ex del. nal. ergo quidam qui furti tenentur, alios & ope & consilio adiutarunt. Item si omne commodatum gratuitum esse debet, §. gratuitum, insti. quibus mod. re contrah. obligat. ergo quoddam gratuito factū est commodatum. Hæc paucis de usu, quem iuriscōsultus ex cōuersione propositionū capere potest, dicere uolui, ne rem planè ἀνωφελῆ tradere uiderer. Reliquū est, ut & de hypothetica propositione, de qua supra dicere institueram, pauca dicam.

De hypothetica proposi-  
tione.

**P**ropositio hypothetica appellat̃,  
quasi suppositoria, seu cōditiona-  
lis, à ὑποτιθέναι quod est suppono, &  
sub conditione aliquid statuo & adfir-  
mo. Nam hoc propositionis genus nū-  
quam non sub conditione aliquid pro-  
ponit et adfirmat, ut si hoc est, illud est:  
si hoc non est, illud non est. Est ergo  
propositio hypothetica, quādo duæ ca-  
thegoricæ aliqua coniunctiōe cōiun-  
guntur, ut si actor est, reus est, si socrus  
tua ab obitu filix uxoris tuæ, intra an-  
num & diem suppellectilem seu utensi-  
lia, ut uocant à te non postulauit, à iure  
postulādi excidit, id quod iure municí-  
palí receptum est. Species hypotheti-  
carum propositionum sunt tres, condi-  
tionalis, disiunctiua, copulatiua.

## De conditionali hypothetica.

**C**onditiōalis hypothetica est, quā-  
do uel duabus, uel etiam plurib.  
cathego-

categoricis propositionibus coniun-  
 ctio conditionalis præponitur, ut si, si-  
 quidem, quando, quandoquidē. Exē-  
 pla, si dos est promissa, matrimonium  
 est initum. Nam dos promitti non so-  
 let, nisi matrimonium contrahatur. Itē  
 quando Titius contra leges matrimo-  
 nium contraxit, nec nuptiæ, nec matri-  
 monium, nec dos intelligitur, §. si ad-  
 uersus, insti. de nuptijs. Item siquidem  
 dos est aucta, & donatio propter nu-  
 ptias augeri poterit, §. sed nos, insti. de  
 dona.

#### Copulatiua:

**C**opulatiua hypothetica est, quā-  
 do categoricæ propositiones cō-  
 iunctione aliqua copulatiua copulant̄,  
 ut & atq; ac. Exempla, Et iudex est, &  
 accusator est. Titius hæres est, ac lega-  
 tarius existit. Sempronius testem agit,  
 atq; iudicis officio fungī uult.

#### Disiunctiua.

**D**isiunctiua hypothetica est, quā-  
 do categoricæ propositiones cō-  
 iunctione

functione aliqua disiunctiua cōnectūtur, aut Stīchum postulat, aut pecuniā petit, debitor uel pecuniā, uel rem pro pecuniā uolente creditore dare potest, l. manifesti iuris, C. de solutio. Iuriscōsulti illā hypotheticā propositionis speciem alternatiuam appellant. Proculus in l. hæc uerba, ff. de uerbo. signif. separare uidetur disiunctiuam propositionem à subdisiunctiua, quod illa sit quando contraria ponuntur, quorum uno posito, alterum tollitur, ut aut. Proprietas est aut possessio, aut dominium est directum, aut quasi dominium est.

Subdisiunctiua uero sunt, quando diuersa simul ponantur, ut Titius aut sedet, aut ambulat, diuersa hic uocant, quæ medium quoddam habent, ut inter ambulare & sedere medium est accumbere, in l. hæc uerba, ff. de uerb. sig.

Vfus harum specierum propositionis hypotheticæ uariis est. Nam præterquam quod ex illis quasdam argumentorum formas colligere potest iuriconsultus, de quibus inferius ubi de  
locis

locis disputatio erit, à nobis dicitur, multa etiam ex illis speciebus hypotheticæ in iure civili multa loca clare & perspicue intelliget, ueluti cum disputatio de alternatiuis seu disiunctiuis aboritur. Item cum disputatur, quando oratio copulatiua ponatur pro disiunctiua, & e contrario, de qua re uidel. saxe, ff. de uerb. signif. Sed propero ad modales propositiones, de quibus etiam ne quid in excussum relinquã, pauca commemorabo.

### De propositione modali.

**M**odus apud dialecticos est nomen adiectiuum, uel dictio adiectiua, quæ rem quampiam modificat & explanat. Inde propositio modalis dicitur, in qua huius farinae adiectiua nomina ponuntur possibile, impossibile, contingens, rectum, uerum, falsum, æquum, iniquum, facile, difficile, certum, incertum, consuetum, inconsuetum, utile, inutile, iucundum, iniucundum, decorum, indecorum, ciuile, inciuile,

uile, & si quæ alia sunt innumera.

Ad hæc aduerbia ab illis nominib. profecta, etiam propositionem modalem constituunt. Exempla. Vnum & actorem & reū esse posse, possibile est, ut fit in tribus iudicijs, familiæ herciscūda, cōmunis diuidundi, finitū regundorum. Item uenditorem teneri ad euitationem rectum est, uide C. de euit.

In absentem sententiam ferre, iniuquum est. Ab iniusta sententia prouocare æquum est. In dicta causā aliquē condemnare, inciuile est. Possessorem lite pendente de possessione submouere iniquū est, l. ij. C. de proba. Sed exempla talium propositionum à iuueni iuris ciuilibus studioso facile conquiri poterūt, quare pluribus exemplis coacervandis supersedeo. Reliquū est, ut rem iurisconsulto longe utilissimam explicem, nimirum quid argumentatio sit,

& quibus speciebus contineatur.

DIALECT. LEGAL. LIBRI

SECUNDI FINIS,

DIA



DIALECTICA LEGALIS A  
Christophoro Hegendorphino  
conscripta, Liber tertius.



Ingredimur iam quod felix & faustum sit eam dialectices partem, quae iuriscōsulto futuro longe utilissima futura est. Nam cum iuriscōsul-  
to non tantum nudis legibus certandum sit, sed etiam subinde argumentis est legibus sumptis, & aduersarius uincendus & iudex persuadendus existat, quam quae so utile erit in illa dialectices parte diligenter exercitatum esse, quae argumentorum recte connectendorum formas praescribit? Ut uero in illam dialectices partem, quam *legitimum* paulo ante appellauimus, iuriscōsulti futuri alacrioribus & attentioribus animis incubant, preclari iuriscōsulti ueteres, qui hanc dialectices partem diligentissime excoluerunt, faciant. Nam an non subinde ex hac dialectices parte, Bartho-  
lus,

ius, Baldus, Dynus, argumentorū formas producunt. Nisi exempla illos iuriconsultos legenti, statim obuia esse possent, hic aliqua producerem, inter iuriconsultos qui ante aliquot annos & eos paucos floruerunt, clarissimus ille iuriconsultus Ioannes ex Breitenbach, ordinis iuriscōsultorum Lypsen sium quondam ordinarius & antistes, hanc dialectices partem etiam atq; etiā excoluit. Nam extant cōsilia uiri illius, in quibus subinde argumētationis speciebus utitur, quæ exempla iuuenes excitulare debent, ut in illam dialectices partem, quam in præsentiarum tractare destinamus, summa opera incūbāt. Nam quis nostrum illā dialecticæ partem ceu inutilē aspernari audebit, quā primi nominis iuriconsulti utilem esse rati, & studiosissime didicerunt, & in legibus explicandis, consilijs dandis, frequentissime adhibuerunt. Sed ut planum fiat, quā utilis sit iuriconsulto illa dialectices pars, quæ legitur à Fabio appellatur, quod dijudicandi argu

menta recte ne connexa sint, regulam tradam, quid argumentatio sit, quot species cōplectatur, quam potest crassissime & pingui, quod aiunt, Minerva explicabo.

### Quid argumentatio.

**C**icero in libro de inuentione primo argumentationē ita finit: Argumentatio est ratio rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessario demonstrans: ex qua finitione iuuenis iurisciuis candidatus discat bifariam, aliqua probari partim argumētis & rationibus probabilibus, partim necessarijs. Probabilia argumēta sunt, quae & ab autoritate & exemplo ducuntur.

#### Ab autoritate.

*Τὸ γὰρ ἀπὸ ἀξίης*, ut ait Theophrastus, *καταβάειν σὺν οἱ νομοθεταί*, ergo uerum est in l. 6. ff. de leg. Itē Hipocrates septimo mense nasci perfectum partum scripsit, Titius ex iustis nuptijs septimo mense natus est, Ergo perfectus

etus partus est & iustus filius, ita colligit Paulus in l. septimo mense, ff. de statu homi. Ab exemplo eleganter colligit Triphonius in l. Cicero ff. de poen. Probabilia argumenta sunt, & hæc mater est, ergo filium amore prosequitur, quod exemplum à iuriconsultis ferè adfertur. Porro argumenta necessaria à lege & ratione ducuntur, ut annotarunt glossularij & doctores in l. si interpretatione, ff. de le. & l. 1. C. eo. & l. 1. C. de professo, & med. li. 12. Hinc intelligis, quæ sint demonstrationes legales, nimirum cū aliquid certis & necessarijs rationibus confirmatur, ut in l. qui admittitur, ff. pro socio. Societas consensu contrahitur, Sed Sempronius Titium nō admisit in societatem, Ergo Sempronius cum Titio nō contraxit societate. Hic quādo ex causa efficiente colligitur, necessaria est ratio & perinde demonstratio. Hæc propterea tam multis explicavi, ut adferre lucem finitioni argumentationis ex Cicerone productæ, quod argumentatio

sit ratio rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessario demonstrans.

Hic quoque iuuenis uidet, quorum conducant ea quæ in libro præcedente de necessarijs & contingentibus propositionibus diximus. Species argumentationis, quæ ferè in usu esse solent, sunt syllogismus, inductio, enthymema, exemplum.

#### Syllogismus.

Syllogismus, autore Aristotele in libro primo Priorum, est oratio in qua quibusdam positis aliud quiddam ab his quæ posita sunt, cum hæc ipsa sint, necessario euenit. Verbi gratia: Alienatio est, cum dominium ad alium transferemus, l. alienatio, ff. de contrahen. emptio. Rei, quæ non nostra est, dominium ad alium transferri nequit, Ergo res quæ non nostra est, alienari non potest.

Item, omnis contractus iurisperitorum consensu peragitur, Emptio est contractus, qui consensu peragitur, Ergo emptio est iurisperitorum. In l. prima, §. est autem, ff. de contrah. emp. Hic uidet iuuenis

iuuenis ex quibusdam positis, id est, ex duabus propositionib. necessario euenire aliud, id est, effici conclusionem.

### De partibus syllogismi.

**S**yllogismus cōflatur ex tribus uocibus seu terminis, duabus propositionibus, & conclusione. Dialectici terminis hæc nomina indidere, maior, minor, mediū. Maior terminus inde nomenclaturam habet, quod in maiore propositione unà cum medio collocetur. Minor terminus appellatur, quod in minore propositione cum medio ponatur. Medium est uox, quæ mediat inter subiectū & prædicatum, & alterum cum altero copulat. Cæterum propositionibus etiā sua sunt nomina, maior & minor propositio. Maior propositio nomē habet, quod plus uirium habet quàm minor, & est ferē apud iurifconsultos lex aliqua, uel insignis sentētia, quæ legis uim habet. Cuiusmodi est illud: Nemo cum alterius

detrimento locupletari debet, ex l. nam hoc natura, ff. de conditio. indeb.

Item deceptis non decipientibus iura opitulantur ex l. & primo, §. uerba, ff. ad senatus consul. uelleia. Minor propositio inde dicta est, quod minus uirium habet, quam maior, & à rhetoribus uocatur *λεπνόμενον*, quod ferè minor sit propositio de qua iudicium suscipiatur: ut, Qui errant, non consentiunt, l. si per errorem, ff. de iurisdic. Sempronius errauit in iudice, ergo Sempronius non consentit in iudicem. Hic minor est *λεπνόμενον*, ut quæ iudici probanda est. Porro conclusio est propositio post argumentationem repetita, quam rhetores uocant statum.

#### De principijs syllogismi.

**A**ristoteles in analyticis prioribus principia syllogismi esse scribit, dici de omni, & dici de nullo. Porro dici de omni est, quando subiecto maioris comprehendi potest nihil, cui non

atque

attribuitur prædicatum in cōclusionē:  
 ut, Omnis actio iniuriarum dissimula-  
 tione aboletur, §. hęc actio, insti. de in-  
 iurijs. Sub actione iniuriarū subiecto  
 nihil comprehendī potest, de quo non  
 prædicatum in cōclusionē dicatur. Sic  
 actio iniuriarum, quę propter pugnū  
 alicui impactū, fustem alicui inflictū,  
 propter conuicia quibus aliquis læsus  
 est intentatur, dissimulatione aboletur.  
 Item omnia turpia lucra ab hæredibus  
 quoq; extorqueri possunt. Quicquid  
 sub turpibus lucris comprehendī po-  
 test, de illo prædicatum in conclusionē  
 dicitur hoc modo: Omnia turpia lucra  
 ab hæredibus extorqueri possunt, l. in  
 hæredem, ff. de calumnia: Illud quod  
 ob falsum testimonium ob gratiosam  
 sententiam iudici datum est, & si quid  
 aliud scelere est quæsitum, turpe lucrū  
 est, Ergo hæredi extorquebitur. Ita col-  
 ligit Vipianus in l. prædicta. Dicit de  
 nullo est, quādo nihil potest sumi sub  
 subiecto maioris, de quo non submo-  
 ueatur prædicatum in conclusionē.



Pacta priuata ius publicum nō mutant, l. ius publicum, ff. de pactis. Quicquid sub subiecto, nempe pactis priuatis sumitur, de illo & prædicatum in cōclusionē negatur & submouetur, hoc modo: Pacta priuata, ius publicum nō mutant. Cum sacerdotes paciscuntur, ut sub prophano iudice cōueniri possint, in c. diligenti. de fo. compet. est pactum priuatum. Item ut dominus fundum absq; colonis adscripticijsq; alienet, est priuatum pactum, l. ij. ubi glo. l. quemadmodū, C. de agrico, & cens. l. xi. Item, si quis paciscitur, ne opus nouum ex caussa publica mutetur, est pactum priuatum, ergo ius publicum non mutat. Hæc exempla satis docent, quomodo hæc principia syllogismorū uerissima sint, & quomodo hæc principia rationem contexendi syllogismos declarent, nimirū quod maior debeat esse propositio aliqua uniuersalis, aliqua lex, aliqua gnome ex lege sumpta, & quod subiectum maioris debeat cōprehendere id quod sub eo sumitur in minore

minore, id quod in prima figura maxi-  
 me est perspicuum, & ut *ἀμείλιτες ἐργον*  
 agam: Hæc principia docent, quod ma-  
 ior debeat complecti causam, propter  
 quam prædicatum in conclusione sub-  
 iecto attribuitur; Vnde & à rhetoribus  
 vocatur *ἀέτιον*. Deinde hæc princi-  
 pia docent, quod cum hac causa subie-  
 ctum minoris propositionis compona-  
 tur, & sic minor propositio nascet, po-  
 stremo conclusio efficitur, Verbi gra-  
 tia, si ita colligimus: Omnis uenditor  
 emptoris iudicem sequi debet, Sēpro-  
 nius est uenditor, Ergo Sēpronius em-  
 ptoris iudicem sequi debet. Ita colli-  
 git Paulus in l. uēditor, ff. ubi quis ag-  
 uel conue. poss. Vbi uides in maiore  
 esse causam, cur prædicatum in cōclu-  
 sione de subiecto dicatur. Est enim ma-  
 ior lex quædam & sententia generalis.  
 Vides etiam, quod in minore causa il-  
 la committatur cum subiecto minoris,  
 deniq; uides quomodo ex duabus illis  
 propositionibus conclusio nascatur. Il-  
 lam componendi syllogismos rationē  
 I 5 iuueni-

iuuenibus iuris ciuilis studiosis ualde commendatam esse uolo, quod ex illa facile syllogismos recte contexere possunt. Quam rationem uideo etiam interpretibus iuris ciuilis ualde perspectam fuisse, ut est uidere in Bartholo, Baldo, & in primis Dyno, apud quem exempla istiusmodi rationis *Ἐ συλλογίζεσθαι* plurima reperiuntur.

Canones in syllogismis contextendis obseruandi.

Primus Canon.

**E**X solis negatiuis nulla conclusio certa & efficax efficitur: ut, Nullæ res incorporales regulariter traduntur, l. seruus, §. incorporales, ff. de ac qui, re rum domi. Nulla pecunia numerata est res incorporalis, Ergo nulla pecunia numerata regulariter tradit. Quis non istam conclusionem exhibet: ex plodat? quis istam conclusionem aliquid uirium habere dicat? Quamuis  
ali

aliquando accidit, ut etiam ex negati-  
uis solis utcunq; aliqua conclusio col-  
ligatur; ut, Nullæ leges sunt perpetuæ,  
Nulla priuilegia sunt leges, Ergo nul-  
la priuilegia sunt perpetua.

### Secundus Canon.

**E**X puris particularibus quoque  
nulla certa & firma cōclusio pro-  
manat: ut, Quædam mādāta homines  
nō obstringunt, Quædam leges publi-  
cæ sunt mandata, Quædam leges publi-  
cæ homines non obstringunt. Hic  
uides quàm cōclusio sit infirma, dicam  
an quàm nulla sit cōclusio, quanquam  
aliquando ex puris quoq; particulari-  
bus utcunq; aliquid certū efficitur: ut,  
Quidam contractus transfert rei domi-  
nium, Quædā emptio & uenditio est  
cōtractus, Ergo quædā emptio & uen-  
ditio transfert rei dominium. Hæc  
conclusio non omnino nul-  
la existit.

Tertius

## Tertius Canon.

**S**Yllogismi uoces amphibolas & polysemas repudiant, nam ex his quoque nulla certa conclusio constitui potest: ut, Omnes apostoli iure gentium sunt liberi, Omnes literæ dimissoriae sunt apostoli, Ergo omnes literæ dimissoriae iure gentium sunt liberae. Hic amphibologia est in uoce apostoli, ut quæ aliquando impetrandum significat, qui ab aliquo principe uel ciuitate ad aliquid impetrandum legatur. Aliquando apostoli significant & literas, quæ appellati à iudice à quo dantur, in l. dimissoriae, ff. de uerb. signif. Aliquando apostoli sunt apparatus classium, expeditionesque maritimæ, ut apud Demosthenem pro Ctesiphonte: *μετὰ ταῦτα δὲ τοὺς ἀποστόλους ἀπαντας ἀπέστειλα.* Item, Omnis qui alicui se uenenum dedisse fateatur, puniendus est, Titius Sempronio uenenum se dedisse fateatur, ergo Titius puniendus est. Hic est amphibologia in uoce uenenum, ut quæ uox media est, & in bonam & malam partem accipitur, in

tur, in l. qui uenenū, ff. de uerb. signifi.

### Quartus Canon.

**M**Edium in cōclusionē recipi nō debet.

### Figuræ syllogismorum.

**F**igura, ut hic accipitur, est dispositio & species uocum, quæ in aliq̄ syllogismo collocātur dicta figura, q̄d per uoces illas syllogismus σχηματισμῶν. Apud dialecticos uero syllogismi trifariam figurantur, ergo tria sunt figurarum genera, prima, secunda, tertia, & quælibet figura suis certis modis constat. Modus autem est & ipsarū propositionum & conclusionis certa collocatio.

### Prima figura.

**P**rima figura est, quando uox quæ uocatur medium, in maiore propositione subiecti loco in minori prædicatū

dicati uice ponitur, quæ quadrifariam  
uariat, ergo & quatuor habet modos,  
qui certis nomenclaturis designantur.

- Bar** Omne mandatum adhuc in-  
tegra re reuocari potest,  
**ba** Omnis qui alicui aliquid gra-  
tuito faciendum imponit,  
mandatum imponit,  
**ra** Omne quod alicui gratuito  
imponitur faciendū, re in-  
tegra reuocari potest.

Maior confirmatur ex §. si adhuc, in  
stit. de mandato. Minor ex finitione  
mādati, & ex §. in summa, insti. ubi su-  
pra. Item, Omnis conductor secun-  
dum legem conductionis facere debet  
§. conductor, insti. de loca. & conduct.  
Omnis qui cōstituta alteri pecunia cer-  
ta rei alicuius usum paciscitur, est con-  
ductor, Ergo omnis qui cōstituta alte-  
ri certa pecunia rei alicuius usum paci-  
scitur, secundum legem pactam, facere  
debet.

- Ce** Nullæ leges ita scribi possūt,  
ut oēs casus cōprehendāt,  
la

la Omnes sententiæ quæ aliquid  
iubent & aliqd uetant, sunt  
leges,

rent Nullæ sententiæ quæ aliquid  
iubent & aliquid uetant ita  
scribi possunt, ut omnes  
casus comprehendant.

Maiores probat ex l. neq; leges, ff. de  
leg. Minor ex finitione legis confir-  
matur. Item, Nullum mandatum fla-  
gitiosæ rei ullas habet uires, l. quod sæ-  
pe, §. iterum, ff. de contrah. emptio.

Omnis qui alicui stuprum mandat,  
rem flagitiosam mādatur, Ergo nullus q  
alicui stuprum mandat, auctoritatem &  
uires habebit ullas. Item, Nullū pa-  
ctum contra bonos mores est obligato-  
rium, Omnis qui cū altero de furto pa-  
ciscitur, est pactum contra bonos mo-  
res, Ergo pactum de furto non est obli-  
gatorium.

Da Omne promissum honestū,  
cadit in debitum ius,  
ri Sempronius Titio rem hone-  
stam promisit,

i Setu



- i Sempronius Titio promisso  
stare cogendus est.
- Da Omnis actor forum rei sequi  
debet,
- ri Meuius contra Titium expe  
ritur seu agit,
- i Ergo Meuius forum Titij se  
qui debet.

Maior confirmatur ex l. iuris ordi  
ne, i C. de iurisd. om. ind. & ex l. actor,  
C. ubi in rem actio exer. deb.

- Fe Nullus reus criminis anteq̃  
purget innocentiam, pro  
curator esse potest,
- ri Verres est reus criminis repe  
tundarum,
- o Verres antequam purget in  
nocentiam, procurator esse  
non potest.

Maior probat ex l. reum criminis,  
C. de procur.

- Fe Nemo potest potestatem sibi  
datam ad alium transferre,  
per l. nemo, ff. de reg. iu.
- ri Cicero accepit a populo Ro  
mano

mano potestatem consulari  
rem,

O Ergo, Cicero potestatem consulari  
ad alium transferre non potest.

Hactenus quæ uarijs modis prima rationandi figura uarietur, ostendi, ut uero istæ simplices rationandi formæ gratiam mereantur: iurisconsultus ad hoc respiciat, ut illas ornamentis elocutionis honestet & ornet. Verbi gratia, si quis ita colligat in

Fe Nullus qui præest iurisdictioni sibi ius dicere debet, per  
l. qui iurisdictioni, ff. de iurisd.

ri Metellus præest iurisdictioni,  
O Ergo ius sibi dicere non potest.

Vt hæc simplex & horrida prope modum rationandi figura splendescat & gratior fiat, elocutio præstabit. Sic in maiore iurisconsultus ἀπειρολογία schemate rethorico uti potest, cur qui iurisdictioni præsit sibi ius dicere non debeat. Nimirum quod ualde turpe sit, si

K quis

quis in sua ipsius causa ius dicat, tum quoniam nobis ferè plus æquo indulgemus fieri, ut si quando in nostra causa ius dicamus, præter æquum & bonum statuamus multa. In minore iurisconsultus declarabit, cuius iurisdictioni præsit Metellus, & quomodo ad illam peruenerit, in conclusione hortatione utatur, ut iudices Metellum à iure in sua causa dicendo abstrahere uelint, id quod non parum ipsis laudi, & toti ciuitati bono futurum sit. Porro illas elocutionis ueneres à rethorica iurisconsultus peritet. In illis sæpe nudæ rationandi formæ proferuntur, nec iniuria, sunt enim leges ciuiles ueluti oracula quedam, quæ longas orationis ambages repudiant. Aliquãdo uno aut altero orationis ornamento illæ exornantur, utputa simili, aut δικαιολογία, aut congerie, aut alio schemate. Sic in l. qui admittitur, ff. pro socio, primo πρώτασις præponitur, quæ admittitur socius, ei tantum socius est, qui admisit. Mox ἀετιολογία adiungitur, & recte; cum enim societas consen-

su

si contrahatur, socius mihi esse nō poterit, quem ego socium esse nolui. Ad extremum subiecto assuitur. Quid ergo, si socius meus eum admisit: ei solus socius est.

### De secunda figura.

**F**igura secunda est, quando mediū in utraq; propositione tam maiore quā minore prædicati loco ponit, usus huius figuræ est in ll. plurimus.

Modi eius sunt:

- |    |   |
|----|---|
| Ce | Nulli debet detrahi ius suū,                                      |
| sa | Omnis qui experitur aliqua actione in iudicio habet ius suum,     |
| re | Nulli experienti aliqua actione in iudicio debet aliquid detrahi. |

Maior potest adstrui per §. primū, in llt. de his quæ sunt sui. &c. Minor ex finitione actionis confirmatur, nam actio est ius persequendi in iudicio quod sibi debetur, §. actio, in lti. de actio.

Nullus obligatur ex consilio quod impertit alteri, Omnis q sine dolo suadet alicuius prædij uenditionem, dat alteri cōsiliū, Nullus qui suadet alicui sine dolo prædij uenditionem obligatur. Maior est manifesta per §. tua tantum gratia, insti. manda. & l. cōsiliij, ff. de reg. iu.

Ce Mandatū non obligat quod fit contra bonos mores,  
 la Omne mandatū de furto aut damno faciendo fit contra bonos mores,  
 rent Nullum mandatum de furto aut damno faciendo obligat per §. illud quoq; insti. manda.

Ca Omnis contractus societatis & culpam & dolū recipit.  
 me Nullum mandatum dolū & culpam recipit,  
 stes Nullum mandatum est idem quod cōtractus societatis.

Qua de re uide pulcherrimam legē contractus, ff. de regu. iu.

- Fe Nullum furtum fit sine adfectu furandi,
- sti Titius rem alienam abstulit sine adfectu furandi,
- no Titius furtum non commisit.
- Maiores probatur per §. placuit, insti. de obliga. quæ ex delict. nascuntur.
- Ba Omnis iniuria ex adfectu facientis consistit,
- ro Sempronius Titium sine adfectu læsit,
- co Sempronius non iniuria Titium adfecit.

Maiores confirmatur per l. illud relatum, ff. de iniur. Tot modis secunda figura apud dialecticos distinguitur & uarietate, & ut monui in prima figura, ita in secunda monendum est, quod in legibus ferè nudæ formæ argumentationum proponuntur. Sic in l. du. quibus, ff. de leg.

Iulianus iurisconsultus ita colligit: Omne illud habet uim legis, quod populi consensu recipitur, Cōsuetudo tacito populi consensu recipitur, Ergo

consuetudo habet vim legis. Iuriscō-  
 sultus t̄ero more rhetorum primo con-  
 clusionem ponit, deinde maior sequit̄,  
 postremo minor adiungitur. Sic impe-  
 rator in l. dubium non est, C. de repud.  
 colligit: Illa firma esse debent, quæ con-  
 silio certo geruntur, Titus dum pro mu-  
 liere dat dotem, & illam ex morte eius  
 repetendam stipulatur, consilio certo  
 usus est, Ergo illud quod uoluit, firmū  
 esse debet. Sic & argumentatur im-  
 perator in l. emptionem, C. de contrah.  
 emp. Emptio & uenditio consensum  
 desiderant, Furiosus non habet ullum  
 consensum, Ergo furiosus non potest  
 emere & uendere. Tales formulæ ar-  
 gumentandi in legibus subinde occur-  
 runt. Aliquando etiam rhetorum mo-  
 re in iure argumētationes tales quinque  
 partibus constant, maiore & eius con-  
 firmatione, minore & eius confirma-  
 tione & cōclusionē, ut in principio in-  
 stitūtionum Iustiniani, ubi maior uel  
*ἐπιτακτικὴ* est. Imperatoris est, ut & ar-  
 mis & legibus polleat; Mox additur

*l. ara-*

κατασκήν, ut tam tēpore pacis, quā  
belli, subditos recte gubernare possit.  
Minor est, Ego Iustinianus utrisq; re-  
bus tam armis quā bellis pollui. Ad-  
sumptio adstruitur: Armis, quod mul-  
tas gentes barbaras bello uici, legibus;  
quod multas leges & ipse promulga-  
ui, & ab alijs compositas in lucem pro-  
duxi. Cōclusio, quæ manifesta est, mo-  
re rhetorum hic omittitur, quod scilicet  
Ergo, merito sibi imperatoris nomen  
arroget. Quod unum exemplum satis  
docet, quomodo copiose & ampliter  
argumentationes in secunda figura tra-  
ctari debeant & possint.

## De tertia figura.

**T**ertia figura est, quando medium  
in utraq; propositione subiecti lo-  
co ponitur, cuiusmodi sunt,  
Da . . . Omnis furiosus nō potest fa-  
cere testamentum,  
ra . . . Omnis furiosus caret animi  
iudicio,



**pu** Quidam carēs animi iudicio  
non potest facere testamen  
tum.

Per §. item furiosi, insti. quibus non  
est permissum fac. testament.

**Fe** Nulla mulier potest pro alijs  
postulare l. foeminae, ff. de  
reg. in. l. 1. §. sexum, ff. de po  
stul.

**la** Omnis mulier est ut puer le  
ui sententia & mente,

**pton** Quoddam quod est leui sen  
tentia & mente, pro alijs po  
stulare non potest.

**Di** Quoddam testamentum etiã  
sine scripto ualet,

**sa** Omne testamentum debet te  
stibus præsensibus condi,

**mis** Quoddã quod testibus præ  
sentibus conditur, etiam si  
ne scripto ualet.

Per §. sed hæc quidem, insti. de testa  
ment. ordin.

**Da** Omnes liberi nominatim uel  
exhæredãdi uel hæredes in  
stituendi

stituendi sunt,  
 Quidā liberi sunt posthumī.  
 Ergo quidam posthumī no-  
 minatim uel exhæredandi,  
 uel hæredes instituēdi sunt,  
 §. sed hæc quidem, instit. de  
 exhæreda. libero.

Bo Quædam actiones sunt rea-  
 les,

car Omnes actiones oriūtur ex  
 obligatione,

do Quoddam ortum ex obliga-  
 tione in rem dirigitur.

Maiores est perspicua, per §. omnium  
 insti. de actio. Minor probatur per l.  
 licet, §. ea obligatio, ff. de procura.

Fe Nullus homo simul & iudex  
 & arbiter esse potest,

ri Quidam homo est filius fa-  
 milias,

son Quidam filius familias simul  
 & iudex & arbiter esse non  
 potest.

Maiores est manifestissima ex l. sed si,  
 §. si quis, ff. de arbi.

Et haec tenus quidem paucis explicauimus syllogismos, quorum media sunt communia. Accidit uero, ut & aliquando media sint singularia uel nomina propria, & hoc in syllogismo expositorio uisitatissimum est, de quo & pauca iuuenem iuris studiosum admonebo.

### De syllogismo expositorio.

**S**yllogismus expositorius, ut iam dixi, est quando medium est singulare uel nomen proprium, aut aliquid occupans uicem nominis proprii, ut si quis ira colligit: Hæc est obligatio, Hæc est actio, Ergo actio manat ex obligatione iuxta regulam, Obligatio est mater actionis. Item, Titij actio est realis, Titio actio erat controuersia de aliqua re, Controuersia de aliqua re dicitur actio realis, §. omnium, insti. de actionibus. Item, Sempronij actio est personalis, Sempronius intendit aduersarium ei dare aut facere oportere, Ergo contentio qua litigatur quod nobis aliquid

quid, aut dandum aut faciendum sit, est personalis. Dicitur autem syllogismus expository, quod propositiones uniuersales exponat & illustret, ut si controuersia sit: An minores in re aliqua lxxi, in integrum restitui debeant, ita colligere possumus: Titius erat in uenditione prædij circumuentus & restitutus, est in integrum, Titius erat minor, Ergo minor circumuentus in integrum restitui potest. Item, si cōtentio sit, an minor decem & septem annis de iure publice responsitare debeat, ita colligere possumus: Nerua filius de iure publice responsitauit, Nerua filius erat cum id faceret decem & septē annos natus, Ergo, decem & septem annos nato publice de iure responsitandi copia fieri potest. Quem syllogismū uide in l. i. §. in q̄ducto, ff. de postul.

### De enthymemate.

**E**Nthymema, ut Aristoteles scribit in libro rhetoricorum primo, est syllo-

syllogismus rhetoricus, id est, quo rhetores ferè uti solent. Sic Cicero in oratione pro Murena: graue est uere accusari in amicitia, tum etiam si falso accuseris, non est negligendū, Ergo me ualde comouet Catonis accusatio, qui me familiaritatis & necessitudinis oblitū, causam, I. Murenæ contra se defendere dixit. Sic Demosthenes in secunda Philippica, Omnis rex & tyrannus odit libertatem, & legibus aduersatur, ergo & Philippus libertatem odio prosequitur, & leges omnes extinctas uult. Exempla enthymematum apud rhetores plurima sunt. Ductum uero est enthymema ab ἐνθυμήματι, hoc est, cogito, comentor, quod paucis uerbis mentis nostræ cogitationē explicat. Aristoteles & in secūdo rhetoricorum, & secundo priorum Analyticorum ex signis conflare scribit, quorum quædam sunt probabilia, & ut Aristotelis uerbis utar *περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχει* & *εἰκότα* uocantur. Aliqua uero sunt necessaria, & *τεκμήρια* appellantur, ἐκ εἰκόνων

ἀόνομα ita colligimus: Non se iudicio si-  
 stit, ergo causæ suæ metuit: testis pallet,  
 ergo falso testatur, ergo aliter sibi con-  
 scijs est quàm uerbis promit. Itē au-  
 reus annulus datus est mulieri in æde  
 sacra uel in domo, ergo matrimonium  
 contractū fuit. Annulus datus est puell-  
 læ coram parentibus, ergo sponsalia ce-  
 lebrata sunt. Vide glossam in c. illud ex-  
 tra de præsumptio. in uerbo Annulus.  
 Titius tacet, ergo consentire uidetur.  
 ἐκ τεκμηρίων ita argumētamur: Sempro-  
 nius uisus est solus cum sola, nudus cū  
 nuda iacere in lecto, ergo stuprū puell-  
 læ intulit in c. literis extra de præsum-  
 ptio. Item Titius uisus est gladiū ex  
 Sempronij uulnerati corpore extrahe-  
 re, Ergo uulnerauit Sempronium. Iu-  
 risconsulti, ut hoc obiter moneam, ἀνό-  
 τα uocant præsumptiones non uehe-  
 mentes, τεκμηρία præsumptiones uio-  
 lentas. Sed id quod primo unum dictū  
 oportuit, enthymema syllogismus est  
 imperfectus, & constat uel antecedente  
 & consequente, hoc est, uel maiore  
 cum

cum conclusione, uel minore & cū cō  
 clusione. Exempli gratia, hic omittitur  
 minor: Omne æs alienū quod manen/  
 te societate contractum est, de cōmuni  
 soluendum est, licet posteaquam socie/  
 tas distracta est, solutum sit. Igitur & si  
 sub conditione promiserat & distracta  
 societate conditio existit, ex communi  
 soluendum est, in l. omne æs, ff. pro so/  
 cio: hic quoq; minor omittitur. An/  
 te sentētiā, signa rebus, quas alius te/  
 net, imprimi nō oportet, ergo signa im/  
 posita detrahēre potes, l. i. C. ut nem. li.  
 sine iud. auto. signa ob. nup. Minor  
 erat, sed rebus tuis ante sententiā si/  
 gna impressa sunt. Hic quoque minor  
 deest, Res bona fide empta propter mi/  
 nimam causam inempta fieri non de/  
 bet, Ergo nec domus tua inempta fieri  
 debet, per l. res, ff. de cōtrahen. emptio.

Aliquando deest maior: Emptio est  
 iurisgentium, ideo consensu peragitur,  
 in l. i. §. est autem, ff. de cōtrah. emptio.

Hic deest minor: Omnis cōtractus  
 iurisgentium consensu contrahitur.

Item

Item pupillus sine tutoris autoritate mutuum accepit, & locupletior factus est, Ergo si pubes factus soluat, non repetit in l. naturaliter, ff. de cōduct. inde.

Hic deest maior: Nemo cū alterius detrimento locupletari debet, in l. nam hoc natura, ff. ubi modo, Titius in pecuniam lusit, Ergo puniendus est; Hic maior deest, Senatusconsultum uetuit in pecuniam ludere, in l. solent, ff. de alea. Sed quid hic tot exempla profero, cum leges plenæ sint exemplorum. Aristoteles libro Rhetoricorum secundo duo genera enthymematū esse scribit, quorum unum sit demonstratiuū. Alterum uero sit redargutoriū, seu ut ipse Aristoteles loquitur *ἐλεγκτικόν*.

Demonstratiuum esse dicit, cum ex certis & confessis, & ut paulo ante diximus, cum *ἐκτεκμηρίων* argumētamur. Verbi gratia, dū ita colligo, Pacta quæ turpem causam continent, nō sunt seruanda, Ergo si paciscar ne furti agam, uel iniuriarum, non seruabitur in l. si unus, §. pacta, ff. de pactis. Sic *ἀδικησ*  
*κώς*



κῶς colligit Scæuola in l. imperatores, ff. de transact. Priuatis pactionibus nō dubium est non lædi ius exterorum, Ergo transactiōe, quæ inter hæredem & matrem defuncti facta est, neq; testamentum recissum uideri potest, neq; legatarijs actiones suæ ademptæ sunt. Sic Δικτικῶς colligit Vlpianus in l. si renumerandi, ff. de mandati rei turpis mandatum nullum est, Ergo actione mandati non agetur. Porro redargutorium enthymema est, quando ex uerisimilibus & probabilibus, & ut superius diximus cū ἐκ εἰκότων colligimus, ut, Reus ad obiectum crimen expallescit, Ergo crimen designauit. Reus cōtumax est, Ergo se uictum confitetur.

Aristoteles dum locos demonstratiui enthymematis recenset, illum præcipuum esse refert, cum ex contrarijs argumentamur ἐστὶ δὲ, inquit, εἰς μὲν τὸ πρῶτον Δικτικῶν ἐκ τῶν ἐναντίων, ut dū ita colligo: Pronunciatum est, prædiū esse meum, Ergo tuum esse quinam potest; per l. Pomponius, §. sed & is, ff. de procur

procurato, & per l. inter me & te, ff. de excep. rei iud. Sic argumētamur: Si Titius rem retinuit, cur nam se illam amiffisse conqueritur. Item, Titius obligauit se Petro ad præstandum annuū censum, Ergo, modo nō liber est à præstando censu. Sempronius contractum inuinit cum Titio, Ergo, non distractum fecisse dicere potest. Meuius testamentum iam fecit, Ergo, quānam ab illo reuocatum esse dici potest? Ad hæc est forma quædam Enthymematis, qua à diuisis ad coniuncta progredimur & ediuerso: ut, Societas est contractus & est iuris gentium, Ergo, societas est contractus iuris gentium, §. ius autem, insti. de iure na. gen. Item, uim uī repellere est licitum, & quidem iure naturali, Ergo, uim uī repellere est iure naturali licitum, in l. ut uim, ff. de iusti. & iu.

Ad extremum est forma Enthymematis, qua ab est tertio adiecto, ad est secundum adiectū procedimus: ut, Sempronius est depositarius, Ergo, Sempronius est, Emptio & uenditio est obligatio,

L

ligatio,

ligatio, quæ consensu contrahitur, Ergo, emptio & uenditio est, §. unicum, insti. de obliga. quæ ex consen. Titius est commodotarius, Ergo, Titius est. Meuius est fideiussor, Ergo, Meuius est. Sed de Enthymemate plus satis, restat inductio, quæ etiã à nobis excutiet̃.

### De inductione.

**A**ristoteles in libro Topicorum primo inductionem ita finit, quod sit ad uniuersalia à singularibus progressio. Græci uocant ἐπαγωγήν ab ἐπάγω infero, cōsequentia præcedentibus addo. Exempli gratia: Si probare iuriscōsultus uelit omnem obligationem quæ consensu fit, tantum consensu illorum qui negotia gerunt contrahi, sic argumentari potest: Emptio, uenditio, locatio, conductio, societas, mandatum, solo consensu contrahentium ineuntur, nec constat alias obligationes huius facinæ aliter contrahi, Ergo, omnes obligationes, quæ consensu contrahunt̃, solo

solo consensu contrahentium contrahuntur, §. unicum, insti. de obliga. quæ consensu contrah. Item, si iuriscōsultus probare uelit omnem exceptionem defendendorum eorum gratia cōparatam, cum quibus agitur, sic colligere potest: Exceptio quod coactus, quod dolo inductus, errore lapsus promiseris: Exceptio non numeratæ pecuniæ, exceptio pacti cōuenti, exceptio iurisiurandi: breuiter, exceptiones tam dilatoriae, quàm peremptoriae comparatae sunt illorum defendendorum gratia cū quibus agitur: Nec constat ullam exceptionem ad aliud quid comparatam esse, Ergo, omnes exceptiones defendendorum eorum gratia cum quibus agitur, comparatae sunt, §. 1. insti. de excep.

Item, si quis illam uulgatam regulam iuris probare uellet, omnia iudicia sunt absolutoria, ita ἐν ἀρχῇ posset iudiciū petitorium, possessorium, recuperatorium, singularia, uniuersalia, particularia, sunt absolutoria. Nec constat ullum esse iudiciū, quod non absoluendi uim

habeat, Ergo, omnia iudicia sunt absolute, §. superest, insti. de perpe. & tēpo. actio. In his exemplis cernit iuuenis studiosus iuris ciuilibus, quomodo ex singularibus seu particularibus ad quoddam uniuersale progrediat̄. Suidas tria genera inductionum esse scribit, dialecticum, oratorium, Socraticū, de dialectica epagoga, multa & quidā arguta scribit Aristoteles in secundo priorum Analyticorum, de qua etiam diximus. De oratoria inductione Fabius scribit, quod sit argumentorū locus ex similibus, ut si emptio & uenditio est contractus, utiq; & locatio & cōductio, societas & mutuum, cōtractus erunt. Item, si tutor rem pupilli emere non potest, Ergo, nec curator, nec procurator, & qui aliena negocia gerunt, in l. si in emptione, ff. de contrah. emp. & uend. Si stipulatio conditionalis deficiente conditione nulla est, Ergo, & si res sub conditione uenit, deficiente cōditione, emptio nulla erit, in l. necessario sciendum, ff. de peri. & commod. rei

rei uend. Socratica inductio ita se habebat, quando plura interrogasset Socrates, quæ confiteri aduersario necesse erat, postremo id de quo controuersia erat inferebatur, cui simile concesserat. Exempla huius inductionis apud Platonem plurima existunt, sed ut iuuenis iuris ciuiliis studiosus huius quoque inductionis usum quendam uideat, unicum exemplum producam: Sit quæstio, an iurisconsultus præ alijs hominibus reip. conducibilis sit, ita inductio Socratica uti possumus. Nonne in re domestica illum utiliorem alijs esse dicimus, qui præstat ut domus recte administretur? Nonne in naue is utilior est alijs, qui præstat ut nauis rectè cursum teneat? Nonne in exercitu is alijs conducibilior est in bello gerendo, qui recte instruit exercitū, qui curat ut milites & uelint & possint in hostes incurere, &c. Quibus omnibus concessis tandem infertur, merito ergo iurisconsultus etiam reip. præ alijs hominū ordinibus ualde conducibilis existit, ut

quo autore respub. recte instruitur, feliciter gubernatur, concussa conseruatur. Fabius scribit hoc genus inductionis in testium interrogatione plurimum ualere, id quod iuuenis iuris ciuilibus studiosus diligenter obseruet.

### De exemplo.

**E**Xemplum est, quando unū particulare per aliud probatur propter simile quod in utroq; conspicitur. Aristoteles in secundo Posteriorum Analyticorum uocat *παράδειγμα*. Verbi gratia, Appius Claudius Cæcus consilijs publicis interfuit, & in senatu seuerissimam dixit sententiam de Pyrrhi captiuis, Ergo, & Titius quamuis cæcus cōsiliij publicis interesse, & de rebus relictis ad senatum sententiam dicere poterit, in l. i. §. Appius deniq; ff. de postula. Item, Publius Cæcus, Aspernati Nonij pater, cū uellet postulare à Bruto auersa sella destitutus est, Ergo, Sempronio loco pro alio postulare nō conceditur,

ceditur, in l. i. §. refert etiã, ff. de postul.  
 Ab exemplo argumentamur hoc mo/  
 do; Meuius cum eius gratia quidam ur/  
 bi perduelles facti essent, suo ipsius im/  
 pendio exploratores mittere, custodias  
 nocturnas seruare coactus fuit, Ergo,  
 & Sempronius cum eius gratia quidã  
 urbi nostrã incendia & pessima quæq;  
 minati sint, publicis etiam program/  
 matis emissarios de suo emittet & cu/  
 stodias nocturnas suo ipsius sumpto  
 seruabit. Cæterum quando impera/  
 tor Iustinianus non exemplis, sed legi/  
 bus iudicandum esse rescripto quodã  
 cauit, in l. nemo iudex, C. de senten. &  
 interlocu. om. iud. Non est quod hoc  
 argumentationis genus uehemẽter ur/  
 geamus, hoc tamen iuuenem admoni/  
 tum uolui, ut si quãdo exemplis uti cu/  
 piat, etiam atq; etiam consideret, ut simi/  
 lia sint quæ profert. Nam similitudo fa/  
 cit, ut alterum ex altero cõsequatur per/  
 inde ac dissimilitudo facit, ut alterũ ex/  
 altero consequi nõ possit. Similia sunt  
 exempla hæc: Titius minor quod esset



læsus in uenditione prædij, in integrũ est restitutus, Ergo & Sempronij minor quod est læsus in uenditione prædij in integrum restitui debet. Vide titulũ Codicis de restit. in integ. cõtra uend.

Dissimilia sunt; Brutus occidit liberos, Ergo, & nobis occidere liberos licebit. Nam Brutus consul occidit liberos prodicionem nolentes, ut refert Liuius libro secundo ab urbe, non ergo consequitur, quod nobis quoq; priuatũ liberos nihil mali designantes occidere liceat. Aristoteles libro Rhetoricorum secundo duo exemplorum genera esse scribit, quorum unum est rei gestæ commemoratio, alterũ uero est parabola, quæ est rerum, generũ, differentium collatio. Exemplum prioris est in l. aut facta, §. euentus ff. de poenis. ubi Claudius Saturninus iurisconsultus, ex cõmemoratione historie ex Homero probat, eadem inconsulto commissam, ultionem exilio multandam. Est autem hæc historia, ut, §. euentus, à me illustretur. Patroclus ludo talario ludens

Iudens cum puer esset, subita iracūdia  
 commotus, puerum collusorem nomi-  
 ne Clisonymum interemit, ob quod fa-  
 cinus pater eius Menētius ex Opunto  
 patria cum in exilium ad Pelei domū  
 abduxit, &c. Est autē locus apud Ho-  
 merū libro uicesimotertio Iliados. Exē-  
 plū parabolæ esse potest illud in glossa  
 nemo, C. de assess.

*Tempore quisq; duos lepores sectatur eodem,*

*Aut neutrum, aut certe non capit ille duos.*

Quibus uersiculis non aliud signifi-  
 catur, quàm illud quod Ouidius dixit:

*Pectora non ira duas non admittentia curas.*

A quo non abludit illud Palladæ in  
 Epigrammatis;

*Γενόμεν' ὡς ἐν τῷ οὐδὲ μὲν χεῖς ἰδίου.*

Absoluimus primarias argumentar-  
 tionis species, quibus pleriq; addunt;

Soriten

Dilemma

Violationem

Enumerationem

De quibus separatim  
 dicetur,

L 5 De

## De Sorite.

**O**σωπος apud Græcos, autore Suidæ, significat aceruum. Inde σω-  
 πους argumentatio est dicta, quando  
 uoces necessario coherentes coacerua-  
 mus. Exempli gratia: Contractus est  
 ultro citroque obligatio, l. labeo, ff. de  
 uerb. signifi. Obligatio est causa actio-  
 nis, l. licet, §. ea obligatio, ff. de procur.  
 Actio est causa agendi, Ergo, & con-  
 tractus est causa agendi, & recte qui-  
 dem, nam ex contractu actio datur, ex  
 obligatione nascitur. Item uim ui pro-  
 pulsare est de iure naturali, l. iij. ff. de in-  
 rit. & iu. Ius naturæ est sententia men-  
 tibus nostris à deo inscripta, cui omnes  
 homines assentiuntur, illud cui omnes  
 homines assentiuntur est licitum & ho-  
 nestum, Ergo, uim ui propulsare est lici-  
 tum & honestum. Item, Furtum est ma-  
 leficio, Omne maleficio est contra  
 leges, Quod contra leges est, punien-  
 dum est, Ergo, furtum puniendum est.  
 In Sorite spectandum est, ut uoces ne-  
 cessario coherent, alioqui nulla certa  
 conse

consequentia oritur, ueluti si ita colligas: Cōcubinas apud se alere leges permittunt, Quod leges permittunt, est licitum, Quod licitū est, honestum est, Ergo, concubinas apud se alere honestum est. Hic uides infirmam dicam annullam conclusionē nasci. Nam ut maxime leges concubinas permittunt, ex eo non consequitur, quod cōcubinas alere apud se honestum sit. Etenim cū legum latores, propter hominum improbitatem pleraq; , ne maiora flagitia orirentur, prohibere cōmode non possent, illa permisere & indulgere, nō qđ honesta esse iudicarint, sed quod inter multa flagitia minora utcunq; permittenda sunt. Soritis etiā memor est Perseus in satyra 6. in fine, dum ita inquit:

*Iam decies redit in rugam, depinge ubi sistam*

*Inuentus Chryssippe tui finitor acerui*

Est autem sensus, ut hunc locum obiter explicem, nam sat scio Ioannem Britannicum, & alios quosdam interpretes hunc locum non intelligere: O Chryssippe Stociorum facile acutissime,

tissime, qui aceruum tuum, utut longe  
 progrediendo, uix intra certos conclu/  
 sionis limites constitit, tandem tamen  
 certis ueluti regionibus finiuisti, depin/  
 ge & ostende tu mihi modū, ubi quie/  
 scam, ubi satyræ conscribendæ finem fa/  
 ciam. De Soritæ etiam extat illud Mar/  
 ciani Capellæ:

*Chrysippus cumulet proprium consumat aceruū*

Vnde est illud etiā Sidonij ex hēdeca  
 syllabo *Chrysippi potuisset ex aceruo.*

### Dilemma.

**E**st argumentatio ex duabus parti/  
 bus constans, quarum unam cō/  
 cedas, reprehenderis, Latini uocant cō/  
 prehensionē, quod undiq; aduersariū  
 comprehendat ne elabatur. Exempli  
 gratia: Aut te iniuria adfeci, aut non ad/  
 feci, Si adfeci, cur id non probas? Si nō  
 adfeci, cur te à me iniuriam accepisse  
 apud omnes declamas? Dilemate usus  
 est Paulus iurisconsultus, in l. si procu/  
 ratorem, §. si ignorātes, ff. mādati. The  
 ma

ma est, Quidam fideiussores ex substā-  
 tia debitoris plus pecuniarum dare da-  
 mnati sunt, quā principalis debebat,  
 & appellationē omiserūt, deinde man-  
 dati agunt. Iam Paulus ita colligit, fi-  
 deiussores se plura q̄ debitor deberet,  
 soluere aut ignorarunt, aut sciuerunt:  
 si ignorarunt, excusata ignorantia est:  
 si sciuerunt, incumbabat eis necessitas  
 prouocandi. Rursum dilemmate usus  
 est Paulus in l. si fideiussor, §. mandatu  
 tuo, ff. mandati. Est autem hęc species,  
 Quidam mandatu alterius fideiussit in  
 decem, & procuratori creditoris sol-  
 uit, Iam colligit Paulus procurator ille  
 aut uerus fuit, aut non uerus: si uerus,  
 statim mandati agam: quod si procura-  
 tor non est, repetam ab eo. Dilemmate  
 usus est idem iurisconsultus in l. si mu-  
 lier, ff. ad senatusconsul. uellei. ubi tale  
 est thema: Mulier in iure interrogata  
 an hæres sit, aut sciens respondet se hæ-  
 redem non esse, aut se hæredem esse exi-  
 stimauit, si sciens se hæredem non esse,  
 responderit non intercessit: sin se hære-  
 dem

dem existimauit in eam actionem dan-  
dam plerique putarunt, sed exceptione se-  
natus consulti adiuuatur. Sed quid tot  
exemplis huius argumentationis pro-  
fero, cum subinde in II. exempla occur-  
rant. Cicero in libro ad Herennium pri-  
mo, dilemma dilui scribit, aut cum ex con-  
trario conuertitur, aut ex simplici parte  
reprehenditur, ut si proponatur hoc En-  
thymema: Nolo hunc in ius uoces: Nam  
cum fateatur id ob quod eum in ius tra-  
here uis, cur confitentem accusare per-  
gis: sin inficiatur, laterem accusando la-  
uabis: nam, ut id quod tu eris confitea-  
tur, ab illo non exprimes. Hoc a contra-  
rio ita conuertitur potest, Imo in ius hic mi-  
hi uocandus est, nam si in iudicio fate-  
bitur, illico causam meam uici, sin infi-  
ciabitur plurimis argumentis, ut nolit  
uelit confiteatur a me perpelletur. Exe-  
plum Enthymematis, in quo altera pars  
reprehenditur. Si proponatur hoc En-  
thymema, cur nam appellas: Nam si sen-  
tentia in rem iudicata abijt, frustra ap-  
pellabis, si non abijt, potentia aduerfa-  
rii

rius tui opprimeris. Hic prior pars ita reprehendi potest, imò quamuis in rem iudicatum abijt sententia, tamen appellando, quia sententia est prorsus iniqua, ut rescindatur efficitur, posterior ita potest reprehendi, imò appellando fiet, ut ne aduersarij potentia obruar. Exemplum Enthymematis uitiosum est in l. in ratione, §. si filio quo, ff. ad l. falciid. hoc modo: Aut dices hunc substitutum falciidã deducere ex persona sua, aut ex persona pupilli instituti: Ex persona sua non potest, quia quartam & forsitan plus quarta habet: Nec ex persona pupilli instituti, nam nec is sibi ipsi potest deducere cum sua legata sint intra modum. Hoc Enthymema ita à iuriscoonsulto reprehenditur *κατ' ἀρτισυφορτα*, imò aut ex persona pupilli soluendum est, & deducam legata, cū adhuc legatis proprijs onerer, aut ex persona propria soluendum est, & iterum deduco, cū legata quæ pupillus debet me onerent. Exemplum Enthymematis, quod ab altera parte reprehenditur, est apud  
Dynam.



Dynum in c. ex eo. de reg. iu. in sexto;  
 hoc modo: Si testamentum in quo mi-  
 hi legatū erat relictum dixi uel falsum,  
 uel inofficiosum, non possum petere le-  
 gatum in eo mihi relictū, quia aut pro-  
 nunciatum est contra testamentum, &  
 mihi ideo non debet, quia ex testamen-  
 to aut falso aut inofficioso legata nō de-  
 bentur, l. Papinianus, §. si ex causa, ff.  
 de inoff. testatu. Aut pronunciatum est  
 pro testamento, & tamen ideo non de-  
 betur, quia nifus fuit impugnare, iuxta  
 regulam: Ex eo non debet quis fructū  
 consequi, quod nifus est impugnare.

Hic posterior Enthymematis pars  
 reprehenditur, imò etiam ex testamen-  
 to quod nifus sum impugnare, legatū  
 consequor, quia si dixi testamentum  
 minus solenne licet succumbam, pete-  
 re possum legatum mihi in eo relictū, l.  
 post legatū, ff. de his qbus ut indi. &c.

#### Violatio.

**V**iolatio, quam Græci *Βιάσιον* ap-  
 pellant, est argumentatio, in qua  
 ex aduersariorum ratione non id quod  
 ipsi

ipsi uolunt, sed quod nobis utile est, se  
 qui demonstramus, quæ argumenta-  
 tionis species in refutatione tantum ad-  
 hibetur, dicta uiolatio, quod uti quadã  
 aduersarios urgeat, sed exēpla iam pro-  
 ducemus. Si quis ita diceret: stipulatio  
 inter Titium & Sempronium non re-  
 cte cōcepta est, quod citra solennia uer-  
 ba simplicibus uerbis utcunq; inita est.  
 Hic dici potest, imò hoc nomine stipu-  
 latio inter Titium & Sempronium re-  
 cte concepta est, quod uerbis simplici-  
 bus est inita, nec ullis uerborum solen-  
 nitatibus est cōtracta: nã solennia uer-  
 ba stipulationum in usu esse desierunt,  
 & hoc leonina cōstitutione, quæ sim-  
 plicem & consonum utcunq; uerborū  
 intellectū requirit, quibus quibus tan-  
 dem uerbis exprimaturs stipulatio, §:  
 sed hæc, insti. de uerbo. obliga. Item,  
 si quis ita dicat, hoc non est solidum te-  
 stamentum nuncupatiuum, quod sine  
 ullo scripto, coram septem tantum testi-  
 bus, expressa & nuncupata testaris te-  
 statoris uoluntate, conditum est. Hic  
 M quocq;

quoque dici potest, imò hac gratia, hoc solidum est testamentum nuncupatum, quod sine scripto in presentia septem testium expressa coram eius testatoris uoluntate factum est, §. sed hæc, in tit. de testa. ordi. Violatione usus esse uidetur iuriscōsultus Paulus in l. si mulier, & l. sequente, ff. ad senatuscon. uel lei. hoc modo: Si mulier tanquam in suos usus pecuniam acceperit alijs creditura, non est locus senatuscōsulto. Nā nemo cū foeminis cōtrahet, quia ignorare potest, quid acturæ sint, imò tunc locus est senatusconsulto, cum scit creditor eam intercedere.

### Enumeratio.

**N**os secuti magnos quosdam uirorum enumerationem etiam inter argumentationis species numerare uolumus. Est autē enumeratio argumentatio, qua rebus pluribus expositis ac cæteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur, ut cum quis ita colligit.

git: Tu te à me iniurijs uarijs adfectum esse adfirmas, aut cum iniuria committatur, aut cum quis alterum pugno pulsatur, aut fustibus caedit uel uerberat: Tu si quis in aliquem conuicia congerat, bona alicuius, qui tibi nihil debet possidentur: Aut si quis in alicuius infamiã libellum, carmen, historiã componat, edat: Aut si quis pudicitiam uxoris, filiorum alicuius attendet: Et si quibus alijs modis iniuria fieri potest: Tu cum à me nullis his uel alijs etiam iniuriarũ modis te adfectum probare possis, efficit te falso mihi impingere, quod multis, si deo placet, iniurijs à me adfectus sis. De hoc exemplo uide §. iniuria, instit. de iniu. Item, Tu dicis me tecũ obligationem, quæ re contrahitur inuuisse. Iam cum re cõtrahatur uel in muti datione, uel cum quis debitum accipit ab eo qui per errorem soluit. Item, si rem accomodato accipit, si res apud aliquem deponitur, si creditor pignus accipiat, & si quibus alijs forsitan modis re contrahimus, tu si quo horũ mo-

dorum, me re tali obligatum probaueris, harena, quod aiunt, cedam: sin minus, falsum est quod me re tibi obligatum esse deprædicas. Hæc argumentatio tunc confutatur, quando aut unum aliquod membrum, quod ab aduersario præteritum erat, profertur: aut si unum ex his quæ prolata sunt, falsum ostenditur. Exempli gratia: Quando hic fundus quem tu possides meus est, necesse est, ut aut hæreditate tibi obuenerit, aut uacuis à te possessus sit, aut abs te emptus, aut usu tuus factus sit, aut certe quod me inde deieceris: Me uiuo mea res tibi hæreditate obuenire non potuit: Emptio nulla profertur, uacuum quod meum fuisse constat possidere non potes, usu tuum non fecisti, relinquitur igitur ut uideam me à mea possessione deieceris. Hic aduersarius dicere potest eundem fundum sibi datum esse, quod ille in enumeratione præterierat, aut si emptionem præferat, quod alter in numeratione negarat.

DIALECT. LEGAL. LIBRI

TERTII FINIS.

DI 12

DIALECTICA LEGALIS A  
 Christophero Hegendorphino  
 congeſta, Liber quartus.



Demosthenes in quarta Philippica obiurgat Athenienses, quod præter morem aliorum hominum faciunt. Nam cum alij omnes ante consilia de rebus capiant, quam rem aliquam gerendam suscipiant. Athenienses ubi res gerere inceperunt, tum demum in consilia eant. Quorsum uero hæc tendunt dixerit aliquis? nimirum eò quod id quod in Atheniensibus reprehendit Demosthenes, in plerisque iuriscōsultis etiam reprehendi possit. Etenim sunt iuriscōsulti, qui ante in publicum dicere audent, quam aut quid dicant, aut quibus argumētis quod dicaturi sint muniant, secum considerent, quo fit ut non raro & ipsi deridiculi habeantur, & causam quam agunt, amittunt. Cum uero prudentiæ sit summæ,

prius quid dicturus sis, & quibus argu-  
 mētis quod dicturus sis, conuenire ue-  
 lis, etiam atq; etiam dispicere. Hoc in li-  
 bro iuuenes iuris ciuilibus studiosos de  
 inuētionis locis pauca admonebimus,  
 ut si quando in publicum dicturientes  
 prodeunt, quid de qualibet re dici de-  
 beat, in promptu habere possint. Nam  
 hoc in libro illam dialecticæ partem tra-  
 ctabimus, quæ ab Aristotele *τοπιική* uo-  
 catur, quod præstet ut oblato themate  
 facilius quid de illo dicendum sit, qui-  
 bus locis confirmandum, iuxta infir-  
 mandum sit constet. Et quamuis illam  
 partem dialecticæ Cicero in Topicis  
 accuratissime tractauit, Baldus in l. cō-  
 uenticulā, C. de sacrosan. eccle. quoq;  
 ex parte attigit. Claudius Cantuuncula  
 non postremus nostri seculi iuriscon-  
 sultus, uerbosissime explicauit, tamen  
 quoniam gratia iuuandi prima discen-  
 tium studia, dialecticam legalem etiam  
 tradere cōstitui, & de illa dialecticæ par-  
 te aliqua differam. Et quia de dialecti-  
 ca locali disputabimus, quid locus sit,  
 paucis

paucis ostendam.

Quid locus.

Cicero in Topicis ex Aristotelis sententia locum esse scribit sedem argumentorum, id est, illud quod in se argumēta occultit, uel ut crassius finia, locus est illud à quo ad propositum thema argumenta ducuntur. Nam ut locus ceteris in rebus facit ne res pereant, ita et locus dialecticus uirtualiter, ut ita dicam, argumenta in se recondit, argumenta argumento l. i. §. conuentionis, ff. de pactis. Sunt autem, ut in libro primo dixi, themata duplicia. Est thema simplex, est thema compositū. Thema simplex est, cum unica uox tractanda proponitur, ut si quis in mediū proponat uocem ius, mox ad dialecticam *ἁπλοῦς* recurrentum est, ut inde certos locos explicandi hoc thema expromā. Hic occurrit mihi primus locus, finitio. Est autem ius ars æqui & boni l. i. ff. de insti. & iu. Deinde diuisio mihi obuiam uenit, hic dico: Est aliquod publicum, est aliquod ius priuatū. Ius pri



ratum diuiditur in ius naturale, gen-  
 tium, ciuile. Ius ciuile est scriptum aut  
 non scriptum. Scriptum diuiditur in le-  
 gem plebiscitum, senatusconsultū, prin-  
 cipum placita, magistratuum edicta, re-  
 sponſa prudentum. Ius nō scriptum in  
 uarias consuetudines. Ad hæc occurrit  
 locus à proprijs & effectibus illarū spe-  
 cierum iuris. Tum quomodo inter se  
 conueniant, quomodo inter se pugnēt  
 his locis, hoc thema explicatur, quod  
 ita explicatum habes in insti. de iu. na-  
 gen. & ciuili. Sin proponat̄ thema cō-  
 positum, ut an emptio sit cōtractus, hic  
 ex dialectica locali moneor, ut ex uoci-  
 bus huius thematis argumenta eruam.  
 Igitur finiam utranq; uocem & primū  
 prædicatum. Quid est cōtractus? Cō-  
 tractus est ultrō citroq; facta obligatio,  
 deinde & subiectum finiam; Emptio est  
 obligatio qua emptor se obligat uendi-  
 tori, quod uelit ei certam pecuniā pro  
 re aliqua dare, est ergo in emptione mu-  
 tua obligatio, concludo igitur; emptio  
 est cōtractus. Porro Cicero in To-  
 picis

picis locos esse bifariam diuidēdos scribit, nimirum quod aliqui sunt interni, aliqui externi. Internos uocat locos, quibus de quibus agitur, inhaerent. Externos uocat, qui extrinsecus ad rem probandam accersuntur, ut est locus à

Præiuditijs,  
Rumoribus,  
Tormentis,  
Tabulis,  
Iureiurando,  
Testibus.

De quibus locis in calce huius libri pauca etiam dicemus.

Εὐφθεω

Loci interni sunt,  
A finitione,  
Etyologia,  
Coniugatis,  
Toto,  
Partibus,  
Genere,  
Specie, seu forma,  
Ab adiunctis,  
A differentia & proprio;  
A causis & effectibus.

M 5

Ab

Ab antecedētib. & cōsequētib.

A repugnantibus,

A simili,

A disparatīs,

A comparatione,

Maiorum,

Minorum,

Parium,

A uerissimi sub quo com prehenditur locus à	}	More,	}	
		Opinione,		} Rei,
		Natura,		
		Qualitate,		} Personæ,
		Tēpore,		
		Loco,		
		Signis,		

Ab extremis,

A principali ad accessorium,

A subrogato,

A primo ad ultimum,

Ab ordine,

A casus omissione,

A scripto contra sententiam,

A sententia contra scriptum.

A fi

## A finitione.

**F**initio, ut scribit Cicero in Topi-  
cis, est oratio quæ id quod diffini-  
tur explicat quid sit. Omnis autem fini-  
tio ex genere & differentia constare de-  
bet, ut Bartholus annotauit in l. i. ff. de  
testamen. ubi totum ferè finiendi artifi-  
cium non indocte ostendit. Porro à  
finitione tam adfirmatiue quàm nega-  
tiue argumentamur. Fideiussor est, qui  
pro alio se obligat, §. i. insti. de fideiuss.  
Ab hac finitione ita argumētari & quæ  
adfirmatiue possumus: Fideiussor est,  
qui pro alio se obligat, Sempronius p  
Titio se obligauit, Ergo, Sempronius  
pro Titio fideiussor factus est.

Negatiue hoc modo:

Sempronius fundū nec ex asse, nec  
pro parte possidet, Ergo, non est fundi  
possessor. Nam possessor is accipien-  
dus est, qui in agro uel in ciuitate rem  
soli possidet, aut ex asse, aut pro parte, l.  
sciendum, ff. qui satisd. cog. Argumen-  
tamur autem hoc in loco sæpe à defini-  
tione ad definitum, ut, Legittimum cu  
iuslibet

iuslibet ciuitatis ius est sancte colendū,  
 Ius ciuile est legitimū ius cuiuslibet  
 ciuitatis, Ergo, ius ciuile est sancte co-  
 lendum. Hic de definito ex diffinitio-  
 ne aliquid probaui. Non raro & à defi-  
 nito argumenta ducuntur hoc modo:  
 Sempronius est pro Titio factus fide-  
 iussor, Ergo, se pro Titio obligauit.  
 Item, Meuius cū Sempronio de re ista  
 pactum iniuit, Ergo, cum Sempronio  
 in hanc rem consensit. Nam pactū est  
 duorū uel plurium in idem placitū &  
 cōsensus l. 1. ff. de pactis. Recensentur  
 hic maximæ propositiones, quæ quo-  
 niam usum huius loci ualde ostendūt,  
 à me quoq; commemorabuntur.

Prima est.

Cuiuscūq; definitio cōuenit, eidem &  
 definitum conuenit, ut si uelim proba-  
 re Sempronium in iudicio tergiuersari,  
 hoc modo dicere possum: Tergiuersa-  
 ri in iudicio est in uniuersum ab accusa-  
 tione desistere, l. 1. ff. ad senatuscō. Tur-  
 pili. Sempronius in totum ab accusa-  
 tione destitit, Ergo, Sempronius in iu-  
 dicio

dicio tergiuersatur. In hoc exemplo uides Sempronio conuenire uerba definitionis tergiuersari, Ergo, & definitū ei conueniet.

Secunda maxima est.

Cui non cōpetit definitio, ei nec definitum competit, hoc modo: Necessaria impensæ sunt quæ habent necessitatem impendendi, l. 1. ff. de impen. in rebus dota. factis, Sempronius non necessario multa impendit, Ergo, non necessarias impensas fecisse dicere potest. Creditores sunt, qui aliquam actionē uel ciuilem habent, uel honorariā, uel in factū, l. si in, §. creditores, ff. de actio. & obligatio. Meuius nec ciuilem, nec honorariam, nec actionem in factum habet, Ergo, Neuius creditor non est. Exempla loci à finitione etiam in legibus reperiuntur. Sic in l. si non sortem, §. si quis, ff. de condicti. indeb. Ulpianus ita colligit: Indebitum solutum accipimus non solum si omnino non debeat, sed & si per aliquam exceptionem perpetuam repeti possit, Sed Sempronius

pronius falso se sortem debere creden-  
 do usuras soluens indebitum soluit, Er-  
 go, Sempronius quod soluit per exce-  
 ptionem repetere potest. Sic in l. depo-  
 siti, C. depositi. Imperator argumenta-  
 tur: Furtum est cōtractio rei alienæ in-  
 uito domino, Depositarius rem deposti-  
 tam inuito domino cōtractauit, Ergo,  
 depositarius furtum commisit, Sic Ca-  
 listratus in l. extat, ff. quod metus caus-  
 sa gestum colligit: Vis est non solum  
 quādo uulneratur, sed & quoties quis  
 id quod deberi sibi putat, non per iudi-  
 cem reposcit, Sempronius id quod sibi  
 debuit Titius, temere accepit, Ergo, uī  
 quadam usus est propter quam à iure  
 crediti excidat. Sub hoc loco comple-  
 ctimur etiam locū à descriptione, quæ  
 est quando utcunq; fieri potest, qualis  
 aliqua res sit, ostenditur argumento, l.  
 si certum, ff. si cer. pet. A descriptio-  
 ne argumentatur Iulianus in l. quæsi-  
 tum, ff. de re iud. Morbus fonticus est,  
 qui alicui impedimento est, ne se iudi-  
 cio sistere possit, Leuis febris uel quar-  
 tana

tana nō impedit robustum, quo minus se iudicio sistere queat, Ergo, leuis fabricula non est morbus fonticus.

### Ab Etymologia.

**E**tymologia est interpretatio nominis alicuius, à qua an adfirmatiue an negatiue argumenta ducantur, inter glossographos iuris ciuilibis magna est cōtentio. Vt uero iuuenis summā rei habeat, ego quæ glossularij uerbis plurimis tradiderunt, paucis hic referam. Aliquando interpretatio cū interpretato conuerti potest, & sic ab illa tam adfirmatiuæ quàm negatiuæ argumentari possumus, ut donatio est doni datio, & doni datio est donatio. Exceptio est actionis exclusio, Ergo, actionis exclusio est exceptio. Abigeus est, qui pecora ex pascuis uel ex armentis subtrahit, & quodammodo deprædatur, Ergo, qui pecora pascuis uel armentis subtrahit, & quodammodo deprædatur, est abigeus, l. 1. ff. de abig. Directorij



ctarij sunt, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, Ergo, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, sunt directarij, l. sacularij, ff. de extraordi. crimi. Non utitur actionis exclusionem, Ergo, non exceptione utitur. Sempronius nihil dono dat nemo, Ergo, ei nihil donat. Aliquando interpretatio non *κατ' ἀντίλεξιν*, ut Victorini uocatur, dicitur, nec cum interpretato conuertitur, ut testamentum est dictum quasi testatio mentis, non conuertitur, Ergo, testatio mentis est testamentum, §. 1. insti. de testamen. ubi autore Raphaeli Cumano in l. 1. ff. de acqui. poss. etiam atque etiam considerandum est, an interpretatio ab accidente uel euentu decerpatur, nam tunc nihil ab illa colligere possumus, ut non sequitur, taberna est, Ergo, tabulis cincta est: uel, tabulis cincta non est, Ergo, non taberna est, cum omne aedificium licet tabulis non claudatur, taberna dici possit, l. tabernæ appellatione, ff. de uerbo sig. Non raro ab essentia rei interpretatio deriuatur, & tunc non

non inepte ab interpretatione ad interpretatum negative argumentari possumus, ut in commodato equus non de meo fit tuus, Ergo, non mutuum extitit. Adfirmatiue autem ab interpretato ad interpretationē sic colligimus: ueruum est, Ergo, de meo tuum est. Testamentū est, Ergo, testatio mentis est.

### A coniugatis.

**C**oniugata dicuntur, quæ ab uno uerbo uarijs inflectuntur modis, ut stipulari, stipulatio, merx, mercatus. A cōiugatis tam adfirmatiue quàm negative colligimus, stipulari est facere, Ergo, stipulatio est factum, §. i. insti. de uerbo. obliga. Merx est, Ergo, mercatus est. Merx non est, Ergo, mercatus non est. Item, iustitiam colunt iurisperiti, Ergo, iuris sacerdotes sunt, l. i. ff. de insti, & iu. Sic dicimus: Titius pro Sempronio fideiubet, Ergo, fideiusionis onus in se recipit. Item, cum altero pacisci de re honesta, est licitum, Ergo,

N pactum

pactum rei honestæ est licitum. Petrus  
 mutuatur à Ioanne pecuniã, Ergo, mu-  
 tuum contrahit. Pleriq; hanc maximã  
 huc referunt: Quicquid conuenit uni  
 coniugatorum, & alteri conuenit. Et si  
 unum coniugatorum inest, & alterum  
 inesse comperiemus. Sic in l. damnato,  
 C. de hære. & Manich. imperator colli-  
 git: Arrium illi sequuntur, Ergo, Arria-  
 ni sunt. Porphyrium sectantur, Ergo,  
 Porphyriani sunt. In Nestoris scelera-  
 tam sectam nomen dederunt, Ergo, Ne-  
 storiani sunt, &c.

A toto & partibus.

**T**otum habet quasdam partes inte-  
 grales, & quasdam substantiales.  
 Integrales dicuntur, que totum inter se  
 constituunt, ut uestibulum, uaporariũ,  
 cubicula, culina, &c. sunt partes inte-  
 grales domus. Partes substantiales sunt,  
 sine quibus totum consistere non po-  
 test, sic sine solo & fundamẽto domus  
 consistere nõ potest. A toto integra-  
 li sic

si sic argumētamur: Domus est, Ergo,  
 paries, Ergo, uaporarium est. Maxima  
 hic recensetur, posito toto integrali, &  
 quolibet eis pars ponit. Itē, quod in to-  
 to disponitur, & in qualibet eius parte  
 dispositū putatur, ut, Sempronius mi-  
 hi domum suam uendidit, Ergo, & om-  
 nnes parietes, omnia cubicula, omnia  
 uaporaria mihi uendidit. Porro maxi-  
 ma paulo ante dicta, uero consentanea  
 est quādo totius & partis eadem est ra-  
 tio, secus ubi diuersa ratio apparet. Nā  
 non sequitur, ab actu absolutus est, Er-  
 go, etiam ab itinere liberatus erat, per l.  
 si mater, §. si quis iter, ff. de excepti. rei  
 iud. & tamen constat iter esse partem  
 actus, l. i. §. actus, ff. de serui. rusti. perd.  
 Aliquando à parte ad totum argumen-  
 tamur, ut Papinianus in l. cui pacto, ff.  
 de seruis exp. hoc modo: Sempronio  
 ex pacto uenditionis pomerio cuiusli-  
 bet ciuitatis interdictum est, Ergo, etiā  
 urbi interdictū esse uidetur. A toto ad  
 partē colligit Paulus in l. domo, ff. de  
 pigno. acti, Domus est pignori data,  
 Ergo,

Ergo, & area eius tenebitur, est enim pars eius.

A genere.

**A** Genere ad speciem & adfirmatiue & negatiue argumentamur. Adfirmatiue quidē, si signum uniuersale præponatur: ut, Omne argentū est legatum, Ergo, & argentum infectum est legatum, l. cum aurum, ff. de auro & argen. lega. Item, omnia ornamenta muliebria uxori legauit, Ergo, & in aures, armillas, uiriolas, uxori legauit, l. argumento, ff. de auro & argen. lega.

Negatiue hoc modo: Pactum non est, Ergo, nec nudum pactum est. Donatio non est, Ergo, nec donatio causa mortis est. Obligatio non est, Ergo, nec obligatio prætoria est. In hoc loco referuntur aliquot maximæ, quarum una est: Posito genere, qualibet eius species uel pars ponitur, l. in generalibus, ff. de reg. iu. ut posito ornamento muliebri ponuntur in aures, armillæ, uiriolæ, annuli, præter signatorios, & omnia

omnia quę ad rem nullam aliam parantur nisi corporis ornādi causa, uide l. ar gumento, §. ornamenta muliebria, ff. de auro & argen. leg. Porro ista maxima, quę à me modo relata est, uero accedit si prædicationis rationem cōtempleris. Genus enim de nulla non specie prædicatur, ut & annotauit Baldus in Commentarijs in feuda scriptis, in titu. per quos si. inuesti. §. 1. in calce.

Altera maxima est, Quodcūq; remouetur à genere, à qualibet eius parte remouetur, ut, Usura nō est licita, Ergo, nec centesima usura, Ergo, nec menstrua usura, Ergo, nec annua usura est licita. Item, Nullus cōtractus est actio, Ergo, nec mutuum, Ergo, nec depositum, Ergo, nec cōmodatum est actio. A genere ad speciem argumētatur Vlpianus in l. 1. §. filium familias, ff. depositi. filius familias cæteris actionibus tenetur, Ergo, & depositi.

A specie.

**A** Specie ad genus adfirmatiue tantum colligimus, ut uenditio est,

N 3

Ergo,

Ergo, contractus est. Furtum est, Ergo, maleficium est. Commodatum est, Ergo, obligatio, quæ re contrahitur, §. item is, insti. quibus mod. re contrah. oblig. Maxima est, cui tribuitur species, eidem tribuitur & genus, ut, stuprum est, Ergo, etiam maleficium est. Item, furtum manifestum est, Ergo, & flagitium.

#### A differentia & proprio.

**A** Differentia & proprio tam adfirmatiuæ, quàm negatiuæ argumentamur. Affirmatiuæ, Est cōtractus quo res ita utenda alicui datur, ut eadem in specie restituatur, Ergo, est commodatum. Itē, est cōtractus quo paciscimur ut rem eandem recipiamus non in specie, sed genere, Ergo, est mutuum, unde l. mutuum damus, ff. si cerpet. Negatiuæ hoc modo: Ille magistratus non habet gladij potestatem, Ergo, non habet imperium merum, l. imperiū, ff. de interd. Sempronius testamentū suū  
nec

nec in scripto redegit, nec coram septē testibus fecit, nec testium annulo confirmari curauit, nec se subscripsit, Ergo, nec testamentum solenne cōdidit, uide §. i. insti. de testamē. ord. A proprio etiam argumēta eodem modo trahi possunt, Sempronius re aliena utitur, fruitur boni uiri arbitrato, Ergo, usufructuarius est. Nam proprium seu officium usufructuarij est, re aliena arbitrato boni uiri uti et frui, in l. si fundi, ff. de usuf. Titius re tantum utitur, Ergo, non est usufructuarius. Meuius defendit autoritate magistratus impuberē, q̄ se propter ætatem defendere nō potest, Ergo, tutor impuberis erit. Nam proprium est tutorum impuberes defendere, §. i. insti. de tuto. Maxima est differentia cum specie sic conuertitur.

### Ab adiunctis.

**A** Badiunctis locus est Boëtio auctore, cum ex aliquibus quæ sunt proxima eis de quibus queritur rebus,



Id quod queritur uel fuisse, uel esse, uel futurum esse monstratur. Ab adiunctis colligitur negatiue, Paulus in l. si in emptione, §. tutor, hoc modo: Si tutor re pupilli emere non potest, Ergo, nec curator, Ergo, nec procurator, Ergo, nec qui aliqua negocia gerunt, rem pupilli emere poterunt. Affirmatiue hoc modo colligere ab adiunctis possumus: Tutor cogitur satis dare, Ergo, & curator, Ergo, & legatarius, Ergo, & haeres, l. de die, §. tutor, ff. qui satisd. cog. Cicero in Topicis scribit illum locum magna ex parte oratorium esse, & non modo iurisconsultum, sed ne philosophorum quidem proinde non est quod hic diu immoremur.

#### A causis & effectibus.

**C**Aussa est illud quod aliquid producit. Aristoteles quatuor causarum genera recenset. Primam, quae mouendi principium est, nos causam efficientem appellamus. Secundam ex qua  
fit

fit aliquid, quam materiam appellant.  
 Tertiam rationem ac speciem qua unū  
 quodq; formatur. Quartā finem pro-  
 pter quē quodlibet efficitur. Effectus  
 est id quod à causa producitur.

A causa efficiente.

**C**Aussa efficiens est, ut iā dixi, qua  
 rei principium oritur. Cicero in  
 Topicis uaria causarum efficientū ge-  
 nera recenset, quorum unum sit, quod  
 suapte ui agat. Sic homo est efficiens  
 causa cōtractus alicuius. Alterū quod  
 naturam efficiendī non habet, sed sine  
 quo effici non possit, ut pecunia est ef-  
 ficiens causa uenditionis & emptio-  
 nis, merx est causa efficiens permuta-  
 tionis. Est etiā genus causarum effi-  
 cientium nihil agēs, prorsus quietum,  
 ut locus quo contractus inicitur, quo so-  
 lutio rei promittitur. Tempus quo ali-  
 quid fit ad quod aliquid nos facere uel  
 le recipimus, unde est regula iuris, *Di-  
 es interpellat pro homine*, quasi tēpus  
 N 5 alicu

alicuius rei solutionem, uel præstationem pariat. Alia præcurſionem habent ad aliquid efficiendum, ut congressio duorum uel plurium est causa contractus alicuius, est causa pacti alicuius.

Porro cum talis est causa, ut in ea sit necessaria efficiendi facultas, necessario conclusio sequitur, ut, Titio iurisprudentia adest, Ergo, iuriconsultus est. Sempronio exercitatio agendi causas forenses adest, Ergo, bonus est causarum forensium actor. Sunt etiam aliquæ causæ efficientes, quæ principem in re aliqua efficiendi locum habent, ut consensus in matrimonio est primaria matrimonij causa, per regulam, Nuptias consensus non concubitus facit. Sic in actione reali princeps causa est dominium, l. in rem, ff. de rei uend. In actione personali princeps causa est obligatio in l. licet, §. de procura. Sunt etiam causæ efficientes, quæ uocantur remotæ, quod nõ principaliter agant & rem efficiant. Sic actionis tam realis quam personalis causa remota est contractus,

l. iij. §. ex plurimis, ff. de acqui. poss. l. consensu, & l. actionū genera, §. actio-  
num quædam, ff. de acti. & oblig. Ma-  
ximæ in hoc loco sunt cum causis suffi-  
cientes agunt, effectus certo sequitur.  
Effectu posito necesse est causam aut  
adesse, aut adfuisse. Effectus à causis  
non separantur. Cessante causa cessat  
effectus, l. generaliter, C. de episc. &  
cle. Sed iam exemplis illas maximas il-  
lustrabimus. A causa sufficiente hoc  
modo colligere possum, tam uenditor  
quàm emptor consentit, Ergo, emptio  
est perfecta, l. in uenditionib. ff. de con-  
trah. emp. Item, res alienatur, Ergo,  
rei dominiū ad aliū transfertur, l. alie-  
natio, ff. de contrah. emp. Non consen-  
sus est in matrimonio, Ergo, matrimo-  
nium non est, hic cessante causa cessat  
effectus. Si omnia quæ mulieris fuerūt  
uirī facta sunt dotis nomine, mulier er-  
go uiro nupsit, hic uides ex effectū ad  
causam colligi. Res usucapi potest, Er-  
go, ciuilitèr possidetur. Nam effectus  
ciuilis possessionis est usucapio, l. ac-  
quiritur,

quiritur, §. ultimo, ff. de acqui. re domi.  
 Hæreditatem patris adit, Ergo, res alie/  
 num dissoluet, ut iure Saxonico cautū  
 est. A causa ad effectum est argumētū.

A materia.

**M**Ateria est ex qua fit aliquid, §.  
 quod si partim, insti. de rerū di/  
 uis. à materia tam adfirmatiuæ quæ nega/  
 tiuæ argumentamur. Affirmatiuæ, Au/  
 rū est, Ergo, aurea pocula fieri possunt.  
 Vinum & mel adest, Ergo, mullum fie/  
 ri potest, §. si duorum, insti. de rerum di/  
 uis. Oliuæ sunt, Ergo, oleum cōfici po/  
 terit. Item sunt res quæ in stipulatū de/  
 ducuntur: Igitur stipulatio esse potest.  
 Maxima est existente causa materiali,  
 effectus existere poterit, ut est uidere in  
 insti. de inuti. stipul. in initio statim. Ne/  
 gatiuæ hoc modo: Argentum non est,  
 Ergo, nec argenti scyphi fieri possunt.  
 Res non sunt in dominio nostro, Er/  
 go, nec in stipulatum deduci possunt.  
 Maxima est sublata causa materiali,  
 maxime

maxime permanente, ut uocant, & effectus tollitur, ut res non existit in rerum natura, Ergo, eius nulla est stipulatio in principio, insti. de inuti. stipula. Res incorporalis est, Ergo, tangi non potest, §. incorporales, insti. de reb. corpo. Itē, res incorporalis est, Ergo, nec proprie possideri potest, l. iij. ff. de acqui. possess. Ab effectu ad causam materialem ita colligimus, res possidetur, res tangitur, Ergo, corporalis est, in principio insti. de rebus corpo. Maxima est, posito effectu causae materialis & causa eius ponitur, ut, aereū uas est, Ergo, aes fuit. Item, mulsum est, Ergo, uinum & mel fuerunt, §. si duorum, insti. de rerum dona.

### A forma.

**F**orma est, quae dat esse rei, ut in c. tua de spōsa Et est duplex forma. Altera est substantialis, quae rem producit iuxta conseruat. Sic interrogatio & responsio est forma substantialis stipulationis, l. i. §. q. praesens, ff. de uerb. obl. Maximae

Maximæ sunt, posita causa formalis essentiali & effectus ponit, destructa hac forma & effectus destruit, l. Iulianus, §. si quis, ff. de exhib. Exempla, Interrogatio & responsio est actu continuo facta, Ergo, est stipulatio. De precio uenditor & emptor cõuenerunt, Ergo, emptio est perfecta, §. precium, insti. de emptio. & uend. Est inita cõmunio rerum, Ergo, societas est contracta, l. 1. ff. pro soc. Consensus est, Ergo, matrimonium est, l. nuptias, ff. de reg. iur. Scyphus in massam redactus est, Ergo, ad poculum amplius non est aptus, l. Iulianus, §. si quis, ff. ad exhib. Ab effectu ad causam formalem etiã & adfirmatiuæ & negatiuæ argumenta trahuntur. Maxima est, Posito uel sublato effectu causæ formalis, ponitur uel sustollitur causa.

A causa finali.

**A**ristoteles libro Topicorum sexto finem esse dicit id propter quod aliquid fit, Sic finis iurisprudentiæ est, ut

ut resp. bene gubernentur, ut ostendit  
imperator Iustinianus in præfatione in  
stitutionū in fine. Sic usucapio admissa  
est, ne rerū dominia in incerto essent.  
Sunt autem uarij fines, sunt principa-  
les, sunt minus principales. Principa-  
les sunt, autore Aristotele, in libro To-  
picorum sexto illi ad quos ceuscopum  
quendam præfixum, aliquid suapte na-  
tura dirigit. Sic primarius finis cogni-  
tionis legum ciuiliū est, ut ex illis be-  
ne resp. administrantur. Principalis fi-  
nis iuris gentiū est, ut humanis necessi-  
tatibus consulatur, §. ius autem, insti-  
de iu. natu. Principalis finis tutelæ est,  
ut impuberes qui se propter etatem nō  
possunt defendere, propugnentur, §. est  
autem, insti. de iu. Minus principales fi-  
nes sunt, qui uel ab aliquo homine pro  
sua uoluntate constituuntur, uel quan-  
do res eō refertur, quō non suapte natu-  
ra respicit. Sic principalis quidem finis  
tutelæ est, impuberem personam defen-  
dere, sed minus principalis est etiam ui-  
dere ne bona impuberum aliquid de-  
trimenti



de iuramenti accipiant, §. ad certum tempus, insti. qui testamen. tuto. dari poss. Sic plerique finem iurisprudentiæ faciunt, ut magnæ opes comparentur, iuxta illud, *Dat Galenus opes et sanctio iustiniana.*

Quidam glossularij argutatur de discrimine causæ finalis & causæ impulsivæ, quæ cum parum *ωπος ἐστίν*, ut iuriconsulti uerbo utar, faciant, à me hic omittentur. Venio iam ad rationem colligendi à finali causâ, à qua & adfirmatiuæ & negatiuæ colligere possumus. Adfirmatiuæ, ne rerum dominia in incerto sunt est bonum, usucapio autem introducta est, ne rerum dominia in incerto fluctuēt, Ergo, usucapio est res ualde bona. Alicuius rebus perinde prospicere, ac suis est ualde honestū, Curator ut alienis rebus perinde ac suis prospiciat, puberibus à magistratibus datur, Ergo, curatorem puberum agere ualde honestum est. A iuriconsultis hæc maxima profertur, concessio sine, omnia quæ ad finem necessaria sunt cōceduntur, Sic labolenus in l. ij. ff. de iurisd.

risd. Cui iurisdictio data est, ei quoque concessa esse uidentur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit. Prædicta maxime plerumque hanc ætiologiam adferunt, quod sublato medio siue quod res explicari nequeat & ipsum mediū sublatum existimetur Nam tolle querelam, qua hæreditas peti potest, quidnam de hæreditate tibi supererit, l. sanctimus, §. ultimo, C. de inoff. testam. Itē, si tollas ius offerendi, quo uia premuntur ad pignoratitiam actionem, & ipsa pignoratitia sustollitur, l. cū notissimi, C. de præscrip. trig. uel quadr. an. Negatiue à causa finali ita colligimus: Infamia non est res honesta, ignominiosa missio militis finis est infamia, l. ij. ff. de his qui not. infa. Ergo, ignominiosa missio militis nō est honesta. Adfertur à iurisconsultis & hæc maxima, cessante causa finali, cessat effectus: & non cessante causa, durat effectus, l. ij. §. ultimum, ff. de dona. & l. generaliter. In l. ij. §. ultimo est thema: Sempronius Titio decem donarat ea conditione, ut

O            inde

inde Stichū emeret, Stichus antequānt  
emeretur mortem obiit. Iam in quęstio  
nem uocat an aliqua actione Sempro  
nius decem repetere possit, & respōdet  
Ulpianus, quod Sempronius si Titio  
in hoc decem dedit, ut Stichum emeret  
aliter non donaturus, mortuo Sticho,  
conditione decem repetere queat per  
regulam, cessante caussa finali, cessat  
effectus. Sic priuilegiū, testamentum  
quoquomodo cōdendi est cōcessum,  
militibus, quādiu in expeditione sunt,  
secus si extra expeditionem egerunt, §.  
in illis, insti. de testam. mili. & inibi An  
gelus, qui hoc scribit, quod is qui uelit  
adstruere, effectum cessare ex cessatio  
ne caussę finalis, caussam hanc uel illā  
fuisse finalem probare debeat, cum in  
dubio cessante caussa non cesset effe  
ctus, de qua re si quis copiosiore di  
sputationem requirit, is legat Bartho  
lum, Angelum, Raphaëlem, & Imolā,  
& alios in l. generaliter, C. de epis. &  
cle. Sic ubi quis minor esse desijt, priu  
ilegium minoris ætatis, Ergo, à princi  
pe

pe concessum finitur, l. Titia, §. Scio  
 usuras, ff. de lega. ij.

Ab antecedentibus.

**A**Ntecedentia uocamus, quando  
 natura aliquid præcedit, quam-  
 uis non sit causa eius quod sequitur.  
 Sic ab antecedentibus colligit Paulus  
 in l. si post moram, ff. de eo quod cer. lo-  
 co dari oportet. Creditor à debitore acce-  
 pit pecuniam, Ergo, remisit poenā quā  
 merebatur debitor, quod Capuz pecu-  
 niam non soluit. Ab antecedente collig-  
 git & Iulianus in l. si hereditatē, ff. man-  
 da. quicumq; contractus tales sunt, ut  
 eorū nomine fideiussor obligari possit,  
 & mandatī obligationem consistere  
 puto. Sic colligere possumus: Si tutor  
 ob dolum remotus est, Ergo, infamiā  
 incurret, §. suspectus autē, insti. de susp.  
 tuto. Itē, est res diuini iuris, Ergo, nul-  
 lius in bonis est, l. 1. ff. de diuis. rerum.  
 Item, res sacra est, Ergo, non recipit estī-  
 mationem, l. sacra loca, ff. de diuis. rerū.

Sic colligit Macer in l. cognitio, ff. de off. eius cui mand. iurisdic. Cum propriam iurisdictionem legatis ius dederis, consequens est, ut etiam de suspectis tutoribus possint cognoscere.

### A consequentibus.

**C**onsequentia appellatur ea quæ ex antecedentibus consequuntur, ut gladii potestatem habet, Ergo, merum imperium ei delatum est, l. imperium, ff. de iurisdic. Re aliena utitur, fruitur salva rei substantia, Ergo, usumfructum rei habet. In iudicio alium defendit, Ergo, satis dedit. Nemo enim alienæ litis idoneus defensor sine satisfactione intelligitur, l. qui proprio, §. qui alium, ff. de procura.

### A repugnantibus seu oppositis.

**A**ristoteles in quinta Metaphysicorum quatuor oppositorum species

cies recenset. Sunt enim aliqua opposita, quæ contraria uocantur, & sunt contrariæ qualitates, quæ in eodem subiecto simul existere non possunt, & sunt contraria inter quæ medium quoddam intercedit. Sic inter tributoriam & institoriam actionem aliæ actiones intercedunt. Sunt etiam contraria, quæ mediū non agnoscunt ullum, ut inter contractus bonæ fidei & male mediū ignoratur. Porro è contrarijs ita colligimus, Hæc res est corporalis, Ergo, incorporealis esse non potest. Ille est contractus bonæ fidei, Ergo, non potest esse contractus stricti iuris, §. actionum, instit. de actio. A contrarijs colligit Vlpianus in l. sed etsi pupillus, §. si institoria, ff. de insti. acti. hoc modo: Si institoria recte actum est, tributoria ipso iure locū nō habet. A contrarijs colligit etiam imperator in l. 1. C. de fut. & sec. corrup. Si furti actione experiri uoles mādati agere non poteris. Accidit tamen aliquando, ut contrarias actiones proponere liceat. De qua re uidere potest iuuenis

Accursum in l. 1. C. de fur. & ser. corrup. & in l. quod in heredem, §. eligere, ff. de tributo. Maxima huius loci sunt, Posito uno contrariorum, alterum submouetur: ut, si matrimonium contraxit, Ergo, non distractum esse matrimonium dicere potest. Contraria allegans non auditur per l. 1. C. de fur. & ser. corr. Lex non debet operari contrarios effectus. Contrariorum est eadem disciplina, in insti. in principio de tute. & in l. q̄ accusare, ff. de accusa. Aliqua opponuntur relatiue, ut, Sempronius est cōductor domus, Ergo, locator esse non potest. Meuius est testator, Ergo, hæres esse non potest. Aliqua opponuntur priuatiua. Porrò priuatio significat rem abesse, quæ adesse debet. Mutum esse significat, abesse loquelam: cæcum esse significat, abesse oculos: furiosum esse significat, abesse mentem. Habitus appellantur res, quæ adfunt. Hinc intelligis opinor, regulam iuris. Priuatio præsupponit habitum, l. manumissiones, ff. de insti. & iur. & l. decem,

decem, de uerb. oblig. Qui fateſ ſe rem amiſſiſſe, fateſtur quod rem olim habue- rit. Sic qui ſe in ſeruitutem coniectum adfirmat, ſe aliquādo liberum fuiſſe ad firmare uideſtur. Sic nemo moritur qui non uiſit. A priuatiuſ oppoſitiſ ſic ar- gumētari licet. Furioſus eſt, Ergo, men- te caret, §. praterea, inſti. quibus nō eſt permiſſ. fac. teſtam. Mutus eſt, Ergo, loqui non poteſt. Surdus eſt, Ergo, au- dire nihil poteſt, §. itē ſurdus, inſti. qui- bus non eſt permiſſ. face. teſtam. Ali- qua opponunt contradicōriæ, de qui- bus hæc regula extat: Si ex contradicō- rijs unum eſt uerum, alterū eſt falſum. Nam ſi uero conſentaneum eſt, Sem- pronium eſſe ſuum & neceſſarium hæ- redem, igitur eum non eſſe ſuum & ne- ceſſarium hæredem, falſum erit. Item, ſi uerum Titum eſſe reum criminis læſæ maieltatis, igitur falſum erit, Titū non eſſe reum criminis læſæ maieltatis.

A correlatiuis.

**C**orrelatiua dicuntur, quæ ſe mu- tuo referunt, ab illiſ ita argumen- tamur:

O 4

tamur:



tatur: Si depositor est, Ergo, depositarius est. Si mādator est, Ergo, mandatararius est. Testator non est, Ergo, nō hāredes instituūtur. Maximā sunt, quod statuitur in uno correlatiuo, & in altero statutum intelligitur, unde in l. cum dies, §. penul. ff. de recep. arb. Papinius ita colligit, quod in uno litigatorū ratum est, & in altero ratum esse debet. Item, uno correlatiuo destructo, & alterum destructum intelligitur, ut, si conductor non est, Ergo, nec locator esse intelligitur. Item, uno correlatiuo correcto, alterum quoq; corrigi putandū est, ut quod lex in actore corrigit, etiā in reo correxisse creditur, per gl. l. per interuallum, ff. de iud. Quod tamen ea tenus uerum est quatenus utrunq; eadem ratio subest, nam alioqui aliud obseruatur. Verbi gratia, Si lex sororem à fratris hāreditate excludat, non illico existimādū est ex aduerso fratrem prohibētum, quo minus ipse sororis hāreditatem nanciscatur.

\*A si/

## A simili.

**S**imilitudo autore Baldo in l. 1. C. de fur. & in l. de quibus, ff. de leg. est in diuersis caussis uel rebus una & quasi eadem ratio & qualitas. Nec uero hoc loco in iure ullus ferè est usitatior & frequentior. A simili argumentatur Pomponius in l. si in Asia, ff. de positi, quemadmodum quod ex stipulatu uel testamento dari oportet, post iudicium acceptum, cum detrimento rei perit, sic depositum quoque eo die quo depositi actum sit, periculo eius apud quem depositum fuerit est, si iudicij accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit. A simili colligit Paulus in l. necessario sciendum, ff. de per. & commo. rei uend. Sicuti stipulatio iniuncta sub conditione, si defecerit, conditio nulla est: ita & emptio contracta sub conditione, si defecerit, conditio nulla est. Caterum hic locus longe lateque patet, nos uti ueni exempla obseruandi occasionem præb. amus, rudem quandam syluam eorum quæ ad locum hunc

○ 5      referrî

referri possunt, subiiciam;

- 1 A iudice ad arbitrum.
- 2 Ab emphiteusi ad censum & ediuerso.
- 3 A feudo ad emphiteusim, & contra.
- 4 A commodato ad precarium, & cōtra.
- 5 A legatis ad fidei commissā.
- 6 A falcidīa ad Trebellianam.
- 7 A cōtractibus ad ultimas uoluntates.
- 8 A contractibus ad quasi contractus.
- 9 A contractu ad distractum.
- 10 A contractibus ad delicta.
- 11 Ab ultima uoluntate ad iudiciā.
- 12 A milite ciuili militiæ ad militē Chri-  
stianæ militiæ.
- 13 A libertate ad piā causam.
- 14 Ab alimentis ad piā causam;
- 15 A dote ad piā causam.
- 16 A fisco ad ecclesiam uel piā causam.
- 17 A pupillo ad remp.
- 18 A milite ad ecclesiā uel piā causam.
- 19 Ab alimentis ad dotem.
- 20 A minoribus ad furiosos & mente ca-  
ptos.
- 21 A minoribus ad ecclesiam uel piā  
causam.

Ab ecclesia ad pia loca.	22
A matrimonio carnali ad spirituale.	23
A persona ad tempus.	24
A persona ad res pias.	25
A re ad tempus.	26
A tempore ad locum.	27
A uerbis legis ad uerba testatoris.	28
A seruo ad monachum.	29
A liberto ad uasallum.	30
A sententia ad testamentum.	31
A tributo ad decimam.	32
Ab ultimis uoluntatibus ad rescriptum motu proprio concessum.	33
A ciuilibus ad criminalia.	34
Ab acquisitione ad retentionem.	35
A dominio ad possessionem.	36

Vt ij loci ordine à me relati iuuenib.  
intellectu faciliores reddantur, exem-  
plis dicam an formis colligēdi illustra-  
buntur.

A iudice ad arbitrum.

**S**imilitudinem esse inter iudicem et  
arbitrum ostendit Paulus l. 1. ff. de  
recep. arb. ubi compromissa ad iudicio  
rum

rum similitudinem redacta esse asserit, est autē talis similitudo, primo omnium, ut iudex sententiam ex scripto recitare debet, l. i. C. de senten. ex breui. reci. Ita et arbiter l. i. ff. de recep. arb. Deinde ut iudex sententiam ubi nox iam ingruit, ferre non debet, in auten. de iud. §. sede bunt collu. 6. ita nec arbiter. Ad hæc ut iudici copia datur, eo die quo sententiam tulit etiam de accessorijs pronuntiandi, ita etiam arbitro licet, per gl. in l. quia arbiter, ff. de arb. Postremo ut iudex uictum uicto in expensis condemnat, l. eum quem temere, ff. de iud. ita & arbiter.

### A feuda ad emphyteusim.

**F**Eudum, ut obiter etiam hoc monent, est beneficium quod ex beneuolentia alicui datur, ea lege, ut proprietatis rei immobilis penes dantem remaneat, usus fructus uero ad accipientem deriuat, unde iura feudalia in quibus cau. feu. orn. c. i. §. si. & dicitur feudum  
dum

dam à fidelitate, quod propter fidelem operam à dominis datur. Qui purius loquuntur ius feudale ius clientele uocant & uasallum, hoc est, possessorem feudi clientem nomināt. Porro emphiteusis (nam ita dicendam est, nō ut uulgus loquitur emphiteosis) est contractus quidam, quo quidam fundos colendos pro annua pensione, quā Commonem iura appellant, recipiebant, & illi qui fundos exercēdos conducebāt *ἐμψυτεύται* dicebantur *ἀπὸ τῆ ἐμψυτεύειν* ab implantare, de quo contractu uide Titul. C. de iure emphiteutico, & Aristotelem in libro Oeconomicorum secundo. Porro à feudo ad emphiteusim uariā colligitur. Nam ut emphiteuta à traditione rei dominium adipiscitur l. 1. ff. si ager uectig. ita etiam Vasallus c. 1. s. 1. de inuest. Ad hoc nō aliter atq; inuito domino Vasallus potestatem renu- ciandi feudo non habet, per Barth. in l. is cum quo, ff. de aqua plu. ar. Ita & emphiteuta, ut annotauit Panormitanus in c. 1. de feud.

Ab emphiteusi ad censum.

**C**ontractus censualis est, quando quis uendit uel alienat ius quod in aliqua re habet, nullū dominiū, nec directum, nec utile sibi reseruans, ita ut annuus census sibi præstetur, ut est uide in glossa in c. constitutus de relig. domi. & Barth. in l. 1. §. 1. ff. de publica. Et in hoc differt cōtractus censualis ab emphiteusi, quod in emphiteusi transfertur quidem dominiū utile pro annua pensione in emphiteutam, sed dominus directum dominiū retinet. Quae de re uide Ioannem de Imola in c. ad audientiam de reb. eccle. non alie. Similitudo inter emphiteusim et censualem cōtractum est, quod ut emphiteuta annuam pensionem præstare cogitur, ita etiam is qui in censum aliquid accepit.

A commodato ad precarium.

**I**n hoc loco hæc est similitudo, quæ admodum qui cōmodat non transfert dominiū rei in accipientem, sed eū  
re

re commodata uti permittit, ita etiã in precario fit, l. 1. ff. de prec. Item, ut commodatum tam in rebus mobilibus q̄ solo consistit, l. 1. ff. de commod. ita etiã precarium l. ij. §. si. l. ij. & l. in rebus, ff. de preca. Sunt tamen etiam in quibus illi contractus discrepent, quæ ex alijs scriptoribus peti poterunt.

### A legatis ad fideicommissa.

**L**egatum et fideicommissum in hoc differunt, quod legatum sit uerbis directis ad ipsum legatarium, ut Titio de lego decem, fideicommissum sit per uerba directa ad eum qui grauatur hoc modo: Volo, mando, oro heredem meum, uel eius fidei committo, ut det Titio decem, uide l. 1. de lega. 1. Et quando fidei alicuius res committitur, fidei commissum dictum est. Iam à legatis ad fideicommissa ita argumetamur: Omnis qui legare potest etiam fidei commissum relinquere potest, l. ij. ff. de lega. Itẽ, quibus legare licet, illis & fidei commissum relinquere



relinqui potest. Itē, quæ res legari possunt, eodem etiam fidei committi poterunt. Item, quibus actionibus legatum ipsdem etiam fidei commissum petitur, per l. ij. & ij. C. commu. de leg. & fidei com. Qui plura de his cupit, interpretes consulat.

### A falcidia ad Trebellianam.

**L**Ege falcidia cauetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem totorum bonorum, id est, ut siue unus hæres institutus sit, siue plures apud eum eosque pars quarta remaneat, §. & cum super, insti. de leg. fal. Inde quarta falcidia dicitur. Porro quando heres institutus est, & grauatur de hæreditate restituenda Titio, hoc casu hæres quartam hæreditatis totius partem sibi uendicat, & alias partes pro eo atque uoluit testator restituit. Illa autem quarta, quæ à tota hæreditate deducitur, quarta Trebellianica appellatur, quod per senatusconsultum Trebellianum introducta fuerit, unde insti. de

de fideicommiss. hæred. Cæterū à quarta falcidia ad Trebellianam ita colligimus, ut de legatis ad pias causas falcidia non detrahitur, l. aut similiter, C. ad l. fal. ita nec de uniuersali fideicommiss. si aliquid detrahitur, quando falcidia & Trebelliana æquiparantur l. Marcellus, ff. ad senatusconsult. Trebel. Præterea in quibus testamentis non locū habet falcidia, in eisdem nec Trebelliana locum habet, ut testator falcidiæ deductionem prohibere potest, autem. sed cum testator, C. ad leg. falc. ita & Trebellianicæ.

A contractibus ad ultimas uoluntates & contra.

Argumentum à contractu ad ultimam uoluntatem est in l. pactū, ff. de pactio. hoc modo autore Bartholo, ut contrahentes possunt renunciare iuri suo, ita & testator iuri suo renunciare potest. Ab ultima uoluntate ad contractus hoc modo, ut testator iuri suo

P                  renun

renunciari potest, ita etiam cōtrahens.  
In illis uero argumentum ualet cum ea  
dem utriusq; est ratio, ut disputat Bar-  
tholus in l. receptum, ff. cōmu. prādi.

A contractibus ad quasi  
contractus.

**E**Xemplum huius loci est in l. ait  
pretor, ff. de mino. hoc modo: ut  
minori succurrat, si uere cū eo aliquid  
gestum sit, & captus est, ita etiā illi suc-  
curretur, si quasi cum eo gestum sit ali-  
quid. Enim uero inter contractum &  
quasi contractum similitudo nō est in  
odiosis & prohibitorijs. Verbi gratia:  
si statuto caueatur ne mulier cōtrahat,  
non ex eo efficietur quod hereditatem  
adire, quod quasi contractus est, ne-  
queat, unde Bartho in l. more, ff. de ac-  
qui. hared. Vide & Bar, in l. licet, §. itē  
scribit, ff. de pecul.

A contractu ad distractum.

**S**ic colligit Paulus in l. emptio, ff. de  
rescind. uend. Sicut emptio &  
uenditio

uenditio consensu contrahitur, ita con-  
trario consensu antequam res fuerit se-  
cuta, resoluitur.

A contractibus ad delicta  
& contra.

**H**Oc modo ut iudex in decisorijs  
tenetur mordicus tenere consue-  
tudinem loci in quo contractus initus  
est, l. si fundus, ff. de eucti. Sic poena co-  
sueti eod loci quo delictum commissum  
est, infligi obseruanda est, quamuis ius  
comune delictum alia poena adficiat.  
Non raro etiam a delictis ad contractus  
rationamur. Hoc modo quemadmo-  
dum ciuitas ex delicto obligat, ita etiam  
ex contractu l. metum, §. animaduerten-  
dum ff. quod met. cau.

Ab ultima uoluntate ad iu-  
dicia, & contra.

**E**Xemplum est in l. non est mirum,  
ff. de pigno. acti. ubi Vlpianus ita  
P 2 rationatur,

rationatur, quemadmodum testamento pignus constitui potest, ita si ex quacunque causa magistratus in possessionem aliquem miserit, pignus constituitur. Cæterum à iudicijs ad ultimas uoluntates negative tantum colligere possumus. Sic Modestinus in l. qui testamento, §. eum qui, ff. de testamento, colligit, is qui lege Iulia repetundarum damnatus est in iudicium testis esse uetatur, Ergo, nec ad testamentum adhiberi potest.

Ab armato milite ad sacris initiatum uel clericum,

**H**is modis ut milites armati à suo duce nomen habent, ita enim milites sacris initiati, dicuntur enim clerici, quod sint electi in sortem domini c. clericos, xxi. distincti, ut miles armatus eatenus res alienum dissoluere cogitur quatenus facere potest, ita & clericus in c. Edoardus extra de solu. & ibi Panor. Item, ut militis armati concubina ex ipsius militis testamento capere potest

test nihil, l. miles, ff. de mil. testament.  
Sic frustra clericus aliquid suæ concu-  
binæ legat, uide Bartho. in d. l. miles.

A libertate ad piã causã.

**Q**uemadmodum si testes uariant  
in testimonijs libertatis, p liber-  
tate, p nunciari debet, l. lege Iulia, ff. de  
manumiss. ita quoq; etiam si testes in te-  
stimonijs piã causã uariãt, p piã causã  
sa pronuntiandum est.

Ab alimentis ad piã causã.

**N**on aliter atq; die festo iudex sur-  
per alimentis potest cognoscere  
l. ij. ff. de se. ita & de piã causã poterit.  
A dote ad piã causã: ut dos in ll. mul-  
tis priuilegijs gaudet, ita & piã causã  
multis priuilegijs decoratur, de priuile-  
gijs dotis uide doctores in l. i. ff. solu-  
matri.

**V**A fisco ad ecclesiam.  
**T**fisci priuilegia sunt plurima,  
P 3 quæ

quæ refert Bald. in l. 1. C. de hered. uel  
act. uen. Ita & ecclesiarum uide titulū  
C. de sacro. eccle.

A milite ad ecclesiam.

**V**eluti in testamento militis duo  
testes sufficiunt, l. Lucius, ff. de  
mili. testam. ita etiam in testamento ad  
pias causas, c. relatum de testamen.

A pupillo ad remp.

**V**t sententia cōtra pupillum seu  
minorē indefensum lata ipso iu-  
re nulla est, l. acta, §. si. ff. de re ind. ita si  
lata fuerit sententia contra remp. ipso  
iure nulla est, l. 1. C. de iu. reip. li. xi. Ut  
minoris debitor à curatione minoris p-  
hibetur, C. qui tuto. dare poss. Sic debi-  
tores rerum publicarum donec soluen-  
do sunt, ab honoribus arcenē l. rescri-  
pto, §. debitores, ff. de nume, & hono.  
Qua de re differit etiam Demosthenes  
in oratione contra Aristogitonem.

Ab

Ab alimentis ad dotem.

**V**T filijs ingratis pater merito & iure alimenta denegat, l. si quis a liberis, §. idem iudex, ff. de lib. ag. sic filia ingratae pater dotem negare potest. Vide Bal. in l. si, C. de do. promiss.

A minoribus ad furiosos, mente captos, prodigos.

**V**T minores bona immobilia sine decreto iudicis alienare non possunt, l. magis puto, §. non possum, ff. de reb. eorum qui sub tut. uel cu. Ergo, nec furiosi nec prodigi bona immobilia sine iudicis decreto alienari possunt. Consequentia probatur, quia tam furiosi quam prodigi, minoribus aequiparantur. At de similibus idem est iudicium.

A minoribus ad ecclesiam uel piam causam.

**S**imilitudo huius loci notissima est  
Somnibus, qui uel primoribus la-  
P 4 bris



bris iura ciuilia degustarunt, proinde non est quod hic diu morer.

Ab ecclesia ad alia loca pia.

**V**T contra ecclesiam paucioribus  
 q̄ annis quadringenta nō currit  
 præscriptio c. de quarta. de præscrip. ita  
 nec contra alia loca pia per §. in tempo  
 ralibus in auten. de eccle. ritu colla. 9.

A matrimonio carnali ad  
 spirituale.

**Q**uemadmodum in matrimonio  
 carnali, cum ab utroq̄ tam spon  
 so quā sponsa cōsensus est datus, ma  
 trimonium firmum & ratum est, ita cū  
 episcopus electus, & ipse consentit &  
 eligentium consensus est constans, re  
 futari non potest in c. cum inter cano  
 nicos de electi. qui plura exempla cupit,  
 legat glossularios decretalium.

**B**A persona ad tempus.  
 Bartholus in l. qui plures, ff. de  
 uulg.

iul. & pu. subst. exemplum huius lo-  
 ci esse scribit, dum iurisconsultus ita col-  
 ligit: si respectu personæ pater potest fi-  
 lio suo impuberi, pupillariter uel sub-  
 stituere, uel non substituere, Ergo etiã  
 ad tempus dare filio substitutũ potest.  
 Verum Zasius ille nostri seculi Sceuo-  
 la, hac in lege à persona ad tempus nõ  
 argumentum ductum esse contendit,  
 quod persona & tempus duo separata  
 sint, à quibus nihil effici possit, sed à mi-  
 nori iurisconsultum argumentari exi-  
 stimat hoc modo: si potest intermitti  
 substitutio, Ergo, etiam ad tempus bre-  
 uius fieri.

A persona ad res, & contra.

**H**OC modo ut principis indulgen-  
 tia is qui damnatus capite fuerat,  
 iuri suo restituitur: ita eius quod colla-  
 psum erat testamentum reparatur, l. si  
 quis filio, §. quatenus, ff. de musc. rup.  
 & ir. testa. A re ad personam est argu-  
 mentum in l. qui furere, ff. de statu ho-  
 mi.

mi. hoc modo : ut qui furere cœpit rei  
sux dominium retinet, ita & statum, &  
dignitatem in qua fuit, & magistratum  
& personam retinet.

A re ad tempus.

**E**Xemplum est in l. miles, ff. de mi  
li. testamen. hoc modo : quod in  
petitione bonorum militi licet, hoc etiã  
in temporis spacio, licet nō modicum  
sit, ex eodem priuilegio competet. Vi  
de inibi Bartholum.

A tempore ad locum.

**Q**uemadmodum uini debiti æsti  
matio iucunda est propter tem  
pus, ita & propter locū. Vide Bartho  
lum in l. uinum, ff. si cer. pet.

A persona ad locum.

**V**eluti qui eximit personam, quæ  
in ius uocari non debuit, edicto  
non

nō tenetur l. i. ff. offilius, ff. ne quis eū,  
&c. Sic qui exemerit uocatum alio q̄  
quo uocari debuerat, l. ij. §. eadem, ff.  
eo, ti.

A uerbis legis ad uerba  
testatoris.

**S**ic imperator in l. quidā, C. de uer/  
bo, signif. colligit, ut disiunctiua po/  
sita inter personas in legibus pro con/  
iuncta, ponitur ita et in ultima uolūtate.

A seruo ad monachum.

**V**eluti si seruus substitutus hæredi/  
tatem nō uult adire, locus est sub/  
stituto, l. proponas, C. de hæred. insti.  
ita est etiam si monachus institutus hæ/  
reditatem adire nolit, per Barbo, in l. i.  
ff. de uulg. & pupil. subst.

A transactione ad rem iudicatā.

**V**T contra transactionē nemo po/  
test uenire, ita nec cōtra rem iu/  
dicatam,

dicatā, l. non minorem, C. de transact.

A sententia ad testamentū.

**Q**uemadmodum libertatis datio per sententiam cū causæ cognitione latam impeditur, ita per testatoris intercessionem, l. seruus hac lege, ff. de manumiss.

A tributo ad decimam.

**V**Tres possessa pro tributo cense tur obligata, l. imperatores, ff. de publica; sic etiam pro decima in c. pastoralis de deci, Item, ut in solutione tributi seruanda est loci consuetudo, l. litibus, c. de agr. & cens. li. ii. ita & in decimis exoluendis.

Ab ultimis uoluntatibus ad rescriptum motu proprio concessum.

**H**uius exemplum est in c. autoritate de concess. præb.

A ciui

## A ciuilibus ad criminalia.

**H**ic negatiue rationamur, hoc modo: Inter quos iudiciū ciuile consistere nequit, inter eos nec criminale admitteť, §. hi qui, insti. de obliga. quæ ex del. nascūtur. Adfirmatiue uero sic: Idem ordo seruať in criminalibus, qui in ciuilibus seruari solet, l. absentem. ff. de poenis, sed illa similitudo, ut omnis aliquando claudicat.

## Ab acquisitione ad retentionem.

**V**t si per aspectū aliquando possessio queritur, etiam eodem modo retineri poterit, l. 1. §. si iusserim, ff. de acqui. poss.

## A dominio ad possessionem.

**H**uius loci exemplum est in l. 1. §. per cōmunem, ff. de acqui. poss. Sicuti in re communi non aliter atque propria etiam in solidum singuli dominium acquirimus, ita & per communem

nem seruum sicut per proprium acquirimus possessionem etiam singuli in solidum: ijs locis adiungunt plerique locum à solutione ad promissionem, l. cū certum, C. ad leg. fal. A filio nato ad posthumum, l. ij. §. ij. ff. de iniusti. rup. in test. A stipulatione ad acceptationem, l. an inutilis, ff. de accep. Ab una persona ad aliam, l. iij. ff. de testament.

A statutis ad pacta, l. si. C. de fide instru. A statutis ad consuetudinem, c. i. de cōsti. in sexto. A testibus ad instrumenta, c. cum Ioannes de fi. instru. &c. En recensuimus locos ferè oēs, qui ad locum à similitudine dictum referri possunt, de quibus si quis uberio-rem disputationem requirit, is legat Claudium Cantuinculam, & Nicolai Middelburgij Topica, è quibus Cantuincula bonam partem Topicorum suorum deprompsit. Venio autem ad quosdā locos internos, qui nondum à me explicati sunt.

**D** A disparatis.  
 Disparata dicuntur diuersæ species, quæ

quæ simul confundi nō possunt. Nam disparatorū disparata est ratio, l. si maritus, C. de dona. inter uirū & uxo. ubi Imperator sic colligit: Si maritus uxori quædā donauit, & ut ea donata uxoris essent, ad mortem usq; durauit, donata uxori prætextu criminis auferri non debent, Nam nō est uerissimile ut crimen commisit uxor, quæ libertatem accepit. Vide Accursium inibi, qui de hoc loco multa disputat, & exēpla disparatorum ex legibus petita quāplurima ostendit. Sic argumentari possumus: Hæc est seruitus, Ergo, non est libertas. Item, Hæc est seruitus aquæ ducentæ, Ergo, nō est seruitus aquæ hauriendæ. Hæc res est publica, Ergo, non est priuata.

### A comparatione.

**C**omparantur autem ea, quæ aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur. Ex comparatione maiorum negatiue argumentamur, iuxta regulam, Si



Si id quod magis necesse uidetur non inest, Ergo, neq; illud inerit, quod minus inesse uidetur, per glo. l. ij. C. in quibus cau. in integ. rest. ut si sumptus q̄s adfectione domestica facimus, repetere nulla ratione possumus, Ergo, nec sumptus quos cum tutores suspectos faceres impendisti, repetere poteris. Ita colligit Imperator in l. i. C. de nega. gestis. Item, si maritus cū facere nihil possit, dotem soluerit, in ea causa est, ut repetere non possit, l. nam & ff. de condict. indeb. Ergo, etiam quod nomine mariti, qui soluendo non est, alius mulieri soluit, repetere nō potest, l. quod, ff. eo. ti. Sic argumentari possumus: Si miles non potest esse procurator, nec mulier procuratorio munere fungi poterit. Item si precibus paternis ut possessione quam uī occupauit cedat, adduci non potest, Ergo, nec amicorum precibus persuadebitur.

A minori.

**A** Minori adfirmatiue tantum argumentamur, iuxta regulam: Si id

id quod minus uidetur inesse, inest, Ergo, id quod magis uidetur inesse, inest. Ut si in contractibus stricti iuris bona etiã fides interuenire debet, Ergo, multo magis in contractibus bonę fidei bona fides interuenit. De q̄ re uide glosam eleganter in §. actionum in uerbo bonę fidei, in sti. de actio. Si prado etiã restituendus est in c. in literis de restitu. spolia, Ergo, multo magis alius uiolenter de possessione sua eiectus restitui debet. Item, si libertus patronis reuerentiam debet, Ergo, etiam filius parentibus reuerentiam debebit, l. parentes, ff. de in ius uoc. Item, si is qui muros uiolauerit capite plectendus est, l. si quis, ff. de diuis. rerum, Ergo, etiam qui loca sacra uiolauerit capite plectetur.

A pari.

**M**axima est, parium idem est iudicium, ut si minor lesus restituitur, Ergo, etiam ecclesia. Nam minor & ecclesia in legibus æquiparantur, & de

Q

de

de utroq; idem est iudicium. Item, si fur-  
 dus testamentum facere nō potest, Er-  
 go, nec mutus. Item, si in emptione &  
 uenditione bona fides seruanda est, Er-  
 go & in locatione & conductione. Nā  
 ut emptio & uenditio, ita locatio & cō-  
 ductio bonæ fidei contractus sunt.

A uerisimili seu probabili.

**V**erisimile est, autore Cicerone,  
 quod ferè fieri solet, aut quod in  
 opinione est, aut quod habet in se quā-  
 dam similitudinem. Exempla: Titius  
 homicidium designauit, Ergo, poenitē-  
 tia ducitur. Nam poenitētia ferè comes  
 est, ut homicidij, ita aliorum flagitiorū.  
 Item, Pauper est, Ergo, ad furtum pro-  
 nus: Hæc enim est opinio hominum,  
 quod homines malignæ cōditionis ad  
 furandum facile inflammentur. Item,  
 Locauit Titio domum ea lege, ut eam  
 totos duodecim annos possideat: Ac-  
 dum Titius biennio locarium non sol-  
 uit, pacto locationis stare nolo. In con-  
 trouersiam

trouersiam uenit, an pactum rescinde-  
 re possim, uti, Ergo, possum hoc argu-  
 mento, cui uerisimile uideri potest me  
 pacto locationis stare uoluisse, si Titius  
 locarium non persolueret. Proinde  
 dum Titius locarium non soluit, pactum  
 locationis irritum est. Nam iuxta regu-  
 lam iuris in dubijs quod uerisimile est  
 sequimur, l. quæro, §. inter locatorem,  
 ff. locati. Porro ueri similitudo à uarijs  
 rebus ducitur. Aliquando ex collatio-  
 ne uel qualitate rei ad precium, ut, si uen-  
 do tibi equum quinquaginta aureis, ueri-  
 simile est quod equum bonum uendi-  
 derim. Aliquādo fit ueri similitudo ex  
 personarū dignitate, ut si ædi sacra scy-  
 phum legarim, uerisimile est quod au-  
 reum nō æneum intellexerim, idēq; pro-  
 pter præstantiam legatarij, qui deus est.  
 Sunt pleriq; qui dicant locum à uerisi-  
 mili, niti partim autoritate, partim exē-  
 plo. Autoritate, ut in l. cum auus, ff. de  
 conditio. & demonstra. ubi hoc est the-  
 ma: Auus substituens extraneum filijs,  
 intelligitur eatenus substituisse, quate-

nus filij sine liberis mortem obeant, id quod nullo iure ante Papiniani tēpora cauebatur. Substitutus scripto nitebatur, liberi sola uoluntate, quod non uerisimile esset patrem liberis extraneo posteriores esse uoluisse, & nitebantur loco ab autoritate, quod Aemilius Papinianus sic respōdit. Verisimile ab exēplo est in l. prima, §. si apud, ff. depositi, ubi exemplo duorum tutorum uerisimile colligitur esse, quod si apud duos sit res deposita aduersus unumquēq; eorū agi possit, &c. Alij uerisimile deducunt etiā à more, opinione, natura, à tempore, qualitate rei & personæ, à loco, signis, circumstantijs.

#### A more,

**A** Consuetudine seu more ita colligimus: Cōsuetudo est in hac urbe, ut causæ secundum partiū affirmationem & inficiationem transigantur, Ergo, uerisimile est, quod & hæc causa in hac urbe secundum solitum iudicij

cij morem discussa sit. Sic dum uoluntas testatoris peruestigatur, nō raro animus ad morem & consuetudinem regionis in qua testator commoratus est intendimus, l. cum de laneonis §. apud asinam molendinariam, ff. de fundo in stit. Quid quod in contractibus etiam mos & consuetudo loci, in quo contractus celebratur, considerari solet, l. semper, instipulor, ff. de reg. iuris.

### Ab opinione.

Sic uerisimile est communem opinionem, in quam omnes citra controversiam consentiunt uerā esse. Huc etiā *ωαρομύια* referri possunt, quæ ut Quintilianus inquit, non durassent unquam, nisi ueræ omnibus uiderentur. Exempla *ωαρομύια*, quæ etiā in ll. passim obuia sunt Alciatus ille, ut bonarū literarum callentissimus, ita iuris ciuili peritissimus, in libro quarto de uerborum significatione multa congeffit. Ios hic, unā parœmiam proferemus,

Q 3      quæ

quæ est in l. solet, ff. de offi. proconsu.  
 Quântum ad xenia pertinet, audi quid  
 sentimus (uerba sunt Vlpiani) uetus  
 est prouerbiûm: ὅτε πάντα, ὄτε πάντο-  
 τε, ὅτε παρὰ πάντων. Nam ualde inhu-  
 manum est à nemine accipere, sed pas-  
 sim uilissimum est, & per omnia aua-  
 rissimum, &c. Sic uero ratiocinari po-  
 tes. Omnium ore probata est illa parœ-  
 mia, neq; omnia, neq; passim, neq; ab  
 omnibus accipere oportet, Ergo, uera  
 est.

A natura.

**P**ER naturam intelligere potes, uel  
 ingenitam quandam uim, & ho-  
 minibus & alijs animantibus, uel ratio-  
 nem naturalem, quæ & ipsa lex est taci-  
 ta, l. cum ratio, ff. de bo. damna. A natu-  
 ra ita collige: Natura mas foeminae a-  
 more & cupiditate capitur. §. ius natu-  
 rale, insti. de iu. na. &c. Ergo, uerissimi-  
 le est, quod Titius etiam Berthæ amo-  
 re & cupiditate captus est. Item, natura  
 hæc dicitur, ne alieno damno locuplete-  
 mur,

mur l. natura, ff. de condict. indeb. Ergo, cui uerissimile esse potest Titium damno Sempronij locupletari uelle: Itē, natura præscribit, ut parentibus & patriæ pareamus, l. ueluti, ff. de iusti. & iu. Igitur non uerissimile est Titium prorsus ἀσέγγου factū, nec parentibus, nec patriæ parere uoluisse.

### A qualitate rei uel personæ.

**A** Qualitate rei hoc modo: Clodius in Milonem gladiū strinxit, & eo illum percussit, Ergo, Milonem occidere uoluit, l. 1. §. Diuus Adrianus, ff. ad l. Corne. de si. Item Sempronius solus Bertham solam in terrā projecit, Ergo, ei uitium adferre uoluit. A qualitate personæ sic colligimus: Auarus est, Ergo, uerissimile est, quod pecuniam acceptam non Titio dederit. Itē, Helluo est, Ergo, uerissimile est, quod conuiuiū illi saltari interfuerit. Bibulus est Titius, Ergo, credibile est quod symposio illi adfuerit. Consul est, Er-



go, quoniam tam perfrictæ frontis esse potuit.

A tempore.

**A** Tempore hoc modo colligere possumus: Iste dies, quo sententiam latam esse adfirmas, sacer fuit, Ergo, non uerisimile uidetur, sententiam eo die prolatam esse. A tempore colligit Vlpianus in l. si conuenerit, ff. pro socio, ut maxime inter socios cōuenit, ne intra certum tempus communis res diuidatur, nonne ergo uerisimile uidetur conuenisse, ut à societate abeat. Item, à tempore est locus in l. si manda uero, ff. de mand. Mandauit tibi, ut pro me in diem fideiubeas, Ergo, an nō uerisimile est, tibi quoniam dies uenerit actionem esse?

A loco.

**A** Loco colligit Vlpianus in l. is qui certo, ff. de eo quod cer. lo. Titius promisit Sempronio pecuniam da  
re

re certo loco, an non, Ergo, uerissimile est, quod nullo alio loco quàm quo stipulator uoluit, illam pecuniã dari possit. A loco colligit Ulpianus in l. pecuniam, ff. de compensa. Sempronius pecuniã à Titio certo loco stipulatus est, Ergo, credibile est quod Sempronius pecuniam non alio loco quàm quo stipulatus est sibi dari uoluerit. A loco argumentatur Paulus in l. qui loco, ff. de condic. indeb. Meuius certo loco se debere existimans. A loco argumentatur Paulus in l. qui loco, ff. de condic. indeb. Meuius certo loco se debere existimans, indebitum soluit, Ergo, non incredibile est quin quolibet loco reperere possit.

### A signis.

**A** Signo ita rationari possumus: Titius Sempronium uulnerauit, nam Titius ades Sempronij ingressus, gladio cruento egredi uisus est. Vide Angelum in tractatu malefi, in glo.

Q 5 super

super uerbo cōparuerunt dicti, &c. Sic ex iudicijs, suspitio fit de adulterio etiā iam olim perpetrato, in l. si ij, C. de adulter. Ad hunc locum pertinent præsumptiones, ut uocant, quæ sunt multiplices. Nam aliæ sunt iuris Canonis, & legis, aliæ hominis, aliæ naturæ, aliæ facti. Præsumptio iuris Canonis, et legis nō patitur, ut cōtrarium adferatur. Sic lex præsumit mulierem dotem stipulatam sibi reddi uelle, quauis stipulatione usā non est, l. 1. §. 1. de rei ux. acti. Sic lex statuit post decem menses mortis natum inter legitimos non haberi, id quod probat glo. in l. septimo mense, ff. de statu ho. Cuius assertioni, & probationibus in cōtrarium quid adferri, non potest. Nam quod lex statuit, sacrosanctum est, & per illud introduci-  
tur præsumptio iuris. Præsumptio hominis, cum de aliquo mala suspitio increbescit, aut quia perditæ quis uiuit, aut quia sinistra fama laborat, quæ præsumptio contraria prolatione subuerti potest, in l. non est uerisimile, ff. quod  
metus

metus cau. Præsumptio naturæ, ut cū pater filium exhæredat, illico præsumit quod præter officium paternum filiū exhæredarit, & hoc propter naturam, quæ liberos præter meritum à parentibus exhæredari præsumit. Præsumptio facti, & hoc uel præteriti ad futura, ut q̄ semel peierauit, & in posterum peieraturus, præsumit uel facti consequentis ad præterita, ut, quid mirum quod Titium iam furtum fecisse credo, ut qui antea in tot furtis deprehensus est. Exēplum etiā habes huius præsumptionis in l. si ű, C. ad l. iu. de adul. Plerique & præsumptionem iuris tantum esse dicunt, ut si mulier longo tempore unis in ædibus cum uiro quodam habitasse comperitur, ab eo cognita esse præsumitur, uerum hæc præsumptio contra-ria probatione tolli potest.

Ab extremis.

**A**B extr emis ita rationari poteris,  
 ubi extrema probaueris, etiā me  
 dicam

dium probatum esse præsumitur, ut si probaro mihi factam traditionē, si probaro & quod possidere inceperim, & quod in fine decennij possideam, possessio continua probata est, ut annotavit Bartho. in l. Pomponius, §. si, ff. de acqui. possess. Superius ubi rationem argumentandi à cōtrarijs tradebamus, rationem etiā argumentandi à contrario sensu, tradere debuimus. Verū cum id fieri paucis non posset, & locus à cōtrarijs superius à me tractatus non ullā *πραξιολογίαν* longam pateretur, de ratione rationandi à contrario sensu hic pauca dicemus. Cæterum Alciatus ille iuriscōsultorum eloquentissimus, & eloquentum iuriscōsultissimus, hoc argumenti genus quatuor speciebus cōplectitur. Vna est, quando lex aliquid *ἰσχυρῶς* seu specialiter induci dicit. Nam tunc consequitur, quod ius commune in contrarium existat. Sic ex lege Iulia, quæ damnatæ adulterij testimonij dictionem esse non uult, probatur regulariter, testimonium mulieris nō repudiari.

diari. Secunda species, quæ ab inclusione unius dicitur. Lex enim cum unum includit, alterum à contrario sensu excludere uidetur, & ediuerso, sic in l. maritus, C. de procura. lex permittit, quod maritus citra mandatum in rebus uxoris cum solenni satisfactione intercedendi habeat facultatem, &c. A contrario sensu colligitur, quod in alijs rebus quæ non uxoris sunt, maritus citra mandatum illum intercedendi pro alio facultatem non habeat. Tertia species ab exceptione dicitur. In ore enim omnium est illud, exceptio regulam confirmat, l. nam quod, §. si. ff. de pe. leg. Nam quod in exceptione comprehensum non est, sequitur sub regulam cadere. Quarta species ex dispositione generali accipi solet, quæ certa ratione aliquid inducit, ut ea deficiente, mens quoque legis deficiat, & id genus argumenti à coniectura robur colligit, non autem directo ex uerbis deriuatur. Accursius in insti. de Curato. in §. interdum super uerbo curatores annotauit, argumentum à contrario

trario sensu in iure robur habere magnum, nisi legi aduersetur l. nemo, C. de iurisdic. om. iudi. Et nisi rationi naturali repugnet, ut C. de episto. & clerici. l. conuenticulas, his locis plerique adducunt locum,

A principali ad accessoriū.

**V**is huius loci sumitur ex c. accessorium, de reg. iuris in sexto. Accessorium naturam sequi congruit principalis, unde sic colligo, Si legatus est Titio annulus, Ergo, & ei gemma quæ annulo additur, legata est. Item, si Sempronio charta dono data est, & aureæ litteræ quæ in charta depictæ sunt, Sempronio dono datæ erunt. Nam litteræ quoque licet aureæ sint, chartis cedunt, §. litteræ, insti. de rerum diuisione. De hac regula qui cupit, is legat Dinum in c. accessorium de reg. iur. in sexto.

A subrogato.

**R**egula est, subrogatum sequitur naturam eius in cuius locum subrogatur.

rogatur, unde sic colligimus: Si ex fundo Meui mihi debentur alimenta, Ergo etiã ex fundo Titij, q̄ in Meui fundum subrogatus est, alimenta mihi debentur. Item, si fundus Sempronij quoniã fideicommissio obnoxius est, alienari non potest, Ergo, etiã fundus Titij, qui in Sempronij locum subrogatus est, fideicõmissio obnoxius erit.

A primo ad ultimum.

**H**Oc argumenti genus partim ex hypotheticis, partim categoricis propositionis conflatur. Ex hypotheticis hoc modo: Si plures unã rem in solidum possidere possunt Ergo, & in solidũ usucapere possunt, si omnes usucapiũt in solidum, proinde omnes domini in solidum efficiuntur, consequens non procedit, l. si & certum, ff. locati, Ergo, nec antecedens procedit. Ex categoricis hoc modo: Titius est prior Meuius, Meuius est prior Sēpronio, Sempronius est prior Stichus, Ergo, à



go à primo ad ultimum Titius est prior Stichus. Vide l. de accessionibus, ff. de diuer. & temp. præscrip.

### Ab ordine.

**L**ocus ab ordine facilis est, nã per hunc probatur illud esse præstantius & potius quod ordine prius sit, unde colligimus: Homines sunt priores iure, Ergo, præstant iuri, §. omne autẽ, insti. de iure perso. Item, ius naturæ siue gentium (nam pro eodem utrunq; ius etiam in ll. reperitur) est prius iure ciuili, Ergo, est iure ciuili præstantius, §. singula, insti. de re. di. Ex hoc loco uident manasse aliquæ regulæ iuris, quæ omnibus qui uel extremis digitis iura attigerunt, perspectæ sunt. Quarum una est, qui prior appellat, prior agat. Altera est, qui prior est tempore, prior est iure, in c. q. prior de reg. iu. in sexto.

### A casus omissione.

**H**oc loco iuriscõsulti nõ raro utuntur, & est cum ita colligimus: Testator

stator in testamento non instituit post  
 humū, si post mortem in lucem exere  
 tur, nō igitur natus erit institutus. Hæc  
 regula multorum ore frequentatur, ca  
 sus in dispositione omissus, non aliter  
 haberi debet atq; si expressus nō esset,  
 in c. inter corporalia de trās. Vtus hu  
 ius loci magnus & firmus est in testa  
 mentis, statutis, iuramentis, per l. si cū  
 dotem, ff. solu. matr. per l. commodissi  
 me, ff. de liberis. In iure uero parum fir  
 mamenti habet. Nam ubi est idem ius,  
 ibi etiā eadem ratio esse debet. Vnde  
 à similibus ad similia procedere licet,  
 in l. iram, ff. de leg.

A scripto contra sententiam.

**A** Liquādo scriptor uidetur secus  
 sensisse quā scripserit, ita quod  
 sententiā autoris & scriptum non con  
 ueniunt, & tunc oritur contentio scri  
 pti contra sententiā, ubi qui scripto uti  
 tur, scriptoris sententiā nō aliā fuisse  
 ostendet, quam scriptum præ se ferat,  
 R id

id quod circūstantiis facile doceri potest. Tū si aliqua obscura in scripto occurrent, illa finitione illustrabit, si ambigua interuenient, diuisione explanabit, ita ut scriptoris sentētia liquido perspiciatur. Porro per scriptum intellige legem, testamentum, pactum, stipulationem, omne denique scriptū, quod ad legē attinet. Paulus in l. fraus, ff. de ill. fraudem uocat, cū scriptum contra sententiā defendit. Sic enim inquit, fraus legi fit, ubi id fit quod fieri noluit, fieri autem uetuit, & quod distat *ἐναντιότρον ἀναντιότρον*, hoc distat fraus ab eo quod cōtra legem fit. Rationem tractandi scriptum cōtra sententiam ostendit etiam Cicero in partitionibus oratoriis, dum ita inquit: Cum aliud scriptor sensisse uidetur, & aliud scripsisse: qui scripto niteat, cū re exposita recitatione uti oportebit, deinde instare aduersario, iterare, renouare, interrogare, num aut scriptor neget, aut contra factum inficietur. Post, iudicem ad uim scripti uocet, hac confirmatione usus, amplificet rem.

rem, lege laudanda, audaciamq; confu-  
tet eius, qui cum palam contra fecerit,  
idq; fateatur, adsit tamen, factumq; de-  
fendat. Deinde infirmet defensionem,  
cū aduersarius aliud uoluisse aliud scri-  
psisse scriptorem dicat, non esse feren-  
dum à quoquam latoris sensum quàm  
à lege explicari, cur ita scripserit, si non  
ita senserit. Cur cum ea quæ planè scri-  
pta sunt, neglexerit, quæ nunquã scri-  
pta sunt proferat; cur prudentissimos  
in scribendo uiros summæ stultitiæ da-  
mnandos puret; quid impedierit scri-  
ptorem quo minus exciperet illud, qd  
aduersarius tanquam exceptum esset,  
ita dicat se secutum, utetur exemplis ijs  
quibus idem scriptor, aut si id non po-  
terit, quibus alij quod excipiendū pu-  
tarint, exceperint. Hæc Cicero. Exem-  
plum harum præceptionum, quas iam  
recensuimus ex Cicerone, extat apud  
Ciceronem in oratione pro Cluentio.  
Verba Ciceronis adscripsissem, nisi &  
bene longa essent, & facile ex ipso au-  
tore peti possent.

A sententia contra scriptum:

**D**E hoc loco ita differit Cicero in partitionibus oratorij: Ille autē qui se sententia legis uoluntateq; defendet, in consilio atq; mente scriptoris nō in uerbis ac literis uim legis positā esse defendet, quodq; nihil exceperit in lege laudabit, ne diuerticula pactis darentur, atq; ut ex facto cuiusq; iudex legis mentem interpretareē. Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis æquitas perturbetur, si uerbis legū ac non sententijs pareat. Deinde genus eiusmodi calliditatis & calumniæ retrahatur in odium iudicis, cum quadā inuidiosa quærela. Hæc ille. Exemplum habes in oratione Ciceronis pro Cæciana. Ad hūc locum facit l. scire, ff. de ll. ubi Celsus, inquit, scire leges non est uerba earum tenere, sed uim & potestatem. Huc refer etiam l. contra, ff. de ll. ubi Tertullianus, inquit, contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet. In fraudem uero legis, qui saluis uerbis legis sententiam eius circumuenit. Non parum

parum multa quæ ad hos locos perti-  
nent, inueniet iuuenis in libro secūdo  
Alciati de uerborum signifi. & in com-  
mētarijs Marij Solomonis in l. omnes  
populi. Exemplum breue utriusq; loci  
est in l. cū auus, ff. de conditi. & demon-  
strat. ubi tale est thema: Quando auus  
filijs extraneū substituuit, non aliter sub-  
stitutionem fecisse existimari debet, q̄  
si filij sine liberis mortem obirent. Sub-  
stitutus scripto nititur, liberi in sola uo-  
luntate testatoris tanquam in sacra, q̄d  
aiunt, anchora hærent, quod à uero alie-  
num uideri debeat, patrem liberos ex-  
traneo proposuisse, cui rei ab autorita-  
te Aemilij Papiniani fidē facit. Ex his  
duobus locis, ut obiter id moneam, ma-  
nauit apud iuriscōsultos duplex actio-  
nis species, quarum una uocatur dire-  
cta, altera utilis. Directa est, quæ expres-  
se ex uerbis legis & etiam *trā dicitur*  
competit. Utilis autem est, quæ *ex dicitur*  
*voicæ* rātum, ut explicat glo, in

Lactio, ff. de nego.

gestis.

R 3

De

De hypotheticis argumentis.

**E**X propositionibus hypotheticis etiam certa argumenta nascuntur iuxta quasdam regulas, quæ subinde ab interpretibus iuris citantur. A positione antecedentis ad positionem consequentis ualet consequentia. Item, ad destructionem consequentis ad destructionem antecedentis ualet consequentia. Exempla: Si furtum est, flagitium est, sed furtum est, Ergo, flagitium est. Item, Si fideiussor est, reus principalis est, sed fideiussor est, Ergo, & reus principalis est. Nam fideiussor est, qui pro altero nempe reo principali fidem dat, & se obligat, §. 1. insti. de fideiussor. Item, Si pronotatio fit, sententia est lata, sed pronotatio fit, Ergo, sententia est lata. Exempla ubi ad destructionem consequentis, efficitur destructio antecedentis. Si defendit rem alienam Titius, satis dedit, sed non satis dedit, Ergo, non idoneus est Titius rei alienæ defensor, §. nam nemo, insti. de satisda. Si matrimonium est legitimū, dotem promissam acquirit

acquirat maritus, sed dotē promissā  
 non acquirat maritus, Ergo, non legit-  
 timum est matrimoniū. Item, Si pater-  
 nam hereditatem Sempronius adit, &  
 alienum dissoluere cogetur, sed Sem-  
 pronius & alienum dissoluere non co-  
 gitur, Ergo, paternam hereditatem nō  
 adiuit. Vide l. sancimus, C. de iu. de  
 lib. Si reus principalis adest, & haberi  
 potest, non negocium exhibetur fide-  
 iussorum, sed negocium exhibetur fi-  
 deiussorum, Ergo, reus principalis nō  
 adest, ne haberi potest. A copulatiua  
 hypothetica sic rationamur, ut, Pater  
 & filius sunt in potestate alterius, sed  
 pater est in potestate alterius, Ergo, &  
 si ius est in potestate alterius. Per regu-  
 lam, quod à tota copulatiua ad quamli-  
 bet eius partem, est bona cōsequentia,  
 l. ea tamen adiectio, ff. de lega. iij. Quæ  
 regula uera non est, si copula coniu-  
 ctæ accipiatur, hoc est, si ad unum respi-  
 cit, ad quod omnes coniunctim requi-  
 runtur, ut nulla est consequentia, Sem-  
 pronius & Titius delegati habent po-



testatem cognoscēdi de causa, sed Sempronius est delegatus, Ergo, Sempronius habet potestatem cognoscēdi de causa, in c. cum causam de offi. deleg. A disiunctiua ita argumentamur: Aut tutor est, aut curator est, sed tutor est, Ergo, nō curator. Item, Aut iudex est, aut arbiter, sed iudex non est, igitur arbiter esse potest, l. sed si, §. si quis, ff. de arbi. Aut hæres est, aut legatarius, sed hæres est, Ergo, non legatarius. In hoc argumento posito altero, necesse est alterum tolli, sublato altero poni alterū, l. hæc uerba, ff. de uerbo. signifi. Vulgo dici solet ualere consequentiam à tota disiunctiua ad alteram partem cum destructione alterius, ut, Aut mutuū est, aut commodatum, sed mutuuum est, Ergo, non cōmodatum, l. 1, ff. si cert. peta.

#### De locis externis.

**L**oci externi dicuntur, qui extra res ipsas ponuntur, & extrinsecus accersuntur, & in ingenio, ut inquit Cicero,

cero, dicentis positi sunt. Numerantur autem in locus ab autoritate, à præiudicio, rumoribus, tormentis, iureiurādo, tabulis, testibus. Et quamuis Cicerō in Topicis illos locos non ad iurifconsultorum disputationes facere scribat, tamen quando ex illis & in foro argumenta sumuntur, de illis etiam aliqua hic dicam. Celebris est Hesiodi uersiculus:

*Νῦν δὲ δ' ὁμοῦ ποιοῦν ἀνεπίξεσθαι καταλύπειν.*

Cur non igitur etiam cum de locis disputationem inceperim sedulo conabor, ut disputationi summam imponā manum, & nihil quod quoquo modo ad argumentorum sedes ostendendas facit, omittam? Sed uenio ad primum locum externum, qui est,

### Ab autoritate.

**L**ocus ille duplex est, nam aliquādo argumentamur ab autoritate iurifconsulti, qui uel commentarios in iura ciuilia scripsit, uel iura publice profitetur, uel nobis consulentibus respon-

R 5 det,

det, Angelus in §. responsa prudentū, insti. de iu. na. gen. scribit doctoris sententiam probabilem esse, per glo. in l. si de interp. ff. de ll. & in l. i. C. de leg. Pro inde quando à doctoris sententia colligimus, probabiliter colligimus, secus olim erat. Nam quondam à iuriscōsul toris sententia discedere, uel latum digi- tum, nō licebat, ut est uidere in §. re- sponso prudentū, insti. de iure na. gen. &c. Quanquam & hodie glossarū au- toritas apud plerosq; tāta est, ut ab illis discedere piaculum putent, & habent hac in re suffragatorem Baldum in l. he- reditas, C. de pos. Imolam in c. cum cō- tingat, de iureiurādo, & alios plerosq;. Ego uero glossis eatenus aliqd tribuo, quatenus eas & rationi consentaneas, & nō legibus apertis aduersari uideo. Quod si lex aliqua pro me in negotio quodam facit, mirabor si glossa contra me faciens causam mihi extorquere po- terit. Quod si adeo sacrosancta, ut ple- riq; iactāt, glossarum est autoritas, cur tam subinde à glossis magni etiam au-  
tores

tores discedunt: cur subinde glossæ re-  
 felluntur? & etiam ab illis, qui simpli-  
 cissimas leges intricatissimis commen-  
 tarijs inuoluerunt, sed de hac re alias co-  
 piofus, καὶ μᾶλλον ὡς ἀμείλιχον, ut Ari-  
 stotelis uerbis utar, disputabimus. Ali-  
 quando argumentamur ab autoritate  
 legis, edicti prætoris, senatuscōsulti, &  
 tunc argumēta prorsus ἀκίνητα & ne-  
 cessaria existūt. Nec me fugit leges na-  
 tura uariabiles existere, sed etiam illud  
 mihi negare potest nemo, quod quan-  
 diu legum uires uigent, immutabiles  
 prorsus surdę & inexorabiles sint. Scri-  
 ptura enim legis semper loquitur. Ab  
 autoritate sic argumentari possumus,  
 Bartholus non uult aduocatos adesse  
 torturæ, nec interrogationi, nec exami-  
 nationi, Ergo, merito sequetur, in l. le-  
 gis uirtus, ff. de ll. Item, Bartholus scri-  
 bit latam culpam in maleficijs nō æqui-  
 parari dolo, Ergo, uerū est, in l. lex est,  
 ff. de ll. Baldus glossam communi opi-  
 nioni anteponendam censet, Ergo, ue-  
 rum existit, in l. hæreditas, C. depos.  
 Optima

Optima legum interpret est consuetudo, per l. si de interpretatione, ff. de legi, Ergo, uerum est.

### A præiudicio.

**P**Ræiudicium, ut Asconius Pedianus finit, est res quæ cum statuta fuerit, adfert iudicaturis exemplū, quod sequantur. Fabius, tria præiudiciarum genera esse scribit, quæ in prioribus nostris dialecticis satis, ut opinor, exemplis iuris illustrauimus. In præsentia, ut pingui Minerua rem tradam, præiudicia in iure appellari sciat iuuenis, responsa prudentum, edicta prætorum, constitutiones imperatorū, leges. Nam in his omnibus sunt propositæ & decretæ res, quas iudicaturi sequi possunt. A præiudicijs ita rationari possumus, Quod responsis prudentum statutum est, iudicaturis sacrosanctū esse debet, §. responsa prudentum, insti. de iure na. gen. & ciui. Sed Pauli iurisprudentis responsio & lege statutum est, ne quæ recta cōtra  
iuris

iuris rationem tendunt, ad consequen-  
 tiam producantur, Ergo, uerū est. Itē,  
 lege Cornelia cautum est, ut is qui ma-  
 lo dolo aliquem occidit, capite plecta-  
 tur, Meuius Titium dolo malo occidit,  
 Ergo, merito lege Cornelia plectetur.  
 Sic etiam à lege Pompeia, lege Iulia ar-  
 gumentari possumus, de quibus uide  
 insti. de publicis iudi. Item, solennes  
 actionum formulæ constitutione Iusti-  
 niani sunt sublata, C. de iuris for. & im-  
 pe. actio. sub. Ergo, illis locus in iudic-  
 io esse nō potest, nec etiam debet. Itē,  
 ut donationes propter nuptias, Græci  
*τογαγαμειας* appellant, dotibus exequen-  
 tur, constitutione diui Iustiniani est cō-  
 stitutum, proinde merito obseruatur.  
 Beneficiū imperatoris plenissime inter-  
 pretandum esse, Iabolenus iurisconsul-  
 tus in l. beneficium, ff. de constitu. prin-  
 ci. respondit, Ergo, non iniuria obser-  
 uantur. Bonorum possessio edicto præ-  
 toris liberis emancipatis defertur, Er-  
 go, illis adimenda non est. Exempla q̄  
 plura uolet, Pandectarum libros in ma-  
 nus

nus sonat, ubi tantum non penuariunt  
 exemplis præiudiciorū instructissimū  
 comperiet.

Arumoribus & fama,

**F**Abius Quintilianus rumorem &  
 famā ita distinguit, quod rumor  
 sit sermo auctoris incerti, & ut Plutar-  
 chi in Othme uerbis utar ἀδ' ἑσποροτ &  
 φήμη. Fama uero certi auctoris sermo in  
 præsentia parum refert, etiamsi alterum  
 pro altero acceperimus, cum & apud  
 latinæ linguæ scriptores nō raro iste uo-  
 ces confundantur, ut apud Martialem:  
*Quicquid fama canit, donat arena tibi.*

Vbi fama pro rumore posita uideri  
 potest de fama, hoc apud iuriscōsultos  
 ualde est celebre, famam per se parum  
 quidem firmamenti ad rem aliquā pro-  
 bandam habere, sed si alijs probationi-  
 bus uelut auctarium & coronis adda-  
 tur, non prorsus infirmam probationē  
 efficere, ut est gloss. in c. ueniens, in uer-  
 bo illorum, de probationibus, unde &  
 Bartho-

Bartholus in l. proprietatis, C. de probatio. famā quidem nō manifesto probare dominium, sed coadunare annotauit. Calistratus iurisconsultus in l. tertia, ff. de proba. famam consentientem rei, de qua quæritur, fidem confirmare, contendit, ubi Accursium in uerbo confirmat, de fama & rumore plurima disputantē, legere iuuenis studiosus potest. A fama & rumore ita colligere possumus, constantem esse famam, Titium à Meuiō interfectum esse. Proinde etiam atq; etiam uidēdum, ne quod adeo constanti hominum sermone frequentatur, neglectui nobis sit. Vel sic, Nō temere esse si quid uulgo dicatur, nam non raro ea uera fuisse, quæ populari sermone iactata fuerint. Quare nec iam popularem sermonem despiciatui habendum esse.

A tormentis.

**T**Ormenta in præsentiarum appellamus illa supplicia, quibus adficiuntur



ciuntur scelerati, ut crimen cuius accusantur, ab illis extorqueatur. Quanta uero fides confessionibus quas in tormentis scelerati faciunt adhibenda sit docet Vlpianus in l. 1. §. quaestioni, ff. de quaestio. Et extat non inelegans libellus à Baldo scriptus de quaestionibus & tormentis in quo quicquid ad hunc locum pertinet, ad plenum traditur. Porro rationem tractandi hoc genus argumenti indicat Cicero in partitionibus oratorijs, dum inquit: Sin quaestiones habitae, aut postulatio ut habeantur, causam adiuuabunt. Confirmandum genus erit primum quaestionum, dicendum de ui doloris, de opinione maiorum, qui eam rem totam nisi probassent recte repudiaissent, &c. & haec quidem pro quaestionibus dici possunt. Contra quaestiones uero etiam latus dicendi capus aperitur, nempe quod periculosum sit confessionibus quas in tormentis exprimamus credere. Nam multos impatientia dolorum in tormentis ea confessos esse, quae nunquam facere in animum induxerint.

xerint. Vnde & ab historicis memoriae  
 proditum est M. Agriū, Argētarij seruū,  
 quando Alexandrū Titi Fanniū seruū  
 occidisse accusaretur, & in tormentis id  
 à se factum cōstantissime adseuerasset,  
 à se factum cōstantissime adseuerasset,  
 ultimo supplicio adfectum. Deinde ue  
 ro non ita longo temporis interuallo, il  
 lū cuius de nece fama increbuerat, do  
 mum rediisse. Tales historiae plurimae  
 passim leguntur, quare non ita temere  
 fidem adhibendam esse tormentis do  
 cebimus. Alia quae hoc in loco dici so  
 lent, à iurisconsultis petenda erunt.

#### A iureiurando.

**Q**uatenus iureiuratio fides astrin  
 genda sit, docet iura & ciuilia &  
 pontificia. Ciuilia quidem in ti. de iure  
 iurando. Pōtificia eodem titulo in l. 1.  
 ff. de iureiu. Iuramentum esse maximū  
 litium expiendarum remedium dicit,  
 in c. 1. extra de iureiu. Omnis cōtrouer  
 siae finem esse iuramentum quoque me  
 moria proditum extat. Tum iuramen  
 tum

tum non raro in supplementum probationis accersitur, quādo uero actori iuramentum deferendum sit, & de energia tota iuramenti; Vide Accursiū in l. admonēdi, ff. eo. ti. in uerbis exacto iuramento. Quod si pro iuramēto dicas, ita argumentari potes. Tantum esse iuris iurandi in ll. & canonibus auctoritatem & efficaciam, ut non satis de ea dici possit, at cum Titius iureiurando se à caussa liberauerit, merito iureiurādo illius standum esse, & caussam non retractari debere. Sin cōtra iuramentum dicas, ita rationari poteris: Non temere esse credendum iureiurando. Nam homines natura ferè ad peierandū esse propēsos, multos mercede corrumpi, ut peierent, à plerisq; etiam metu iureiurandum præstari, at iuramentum metu præstitum, ut plerisq; asserunt, non obligare, ut admonet glossa in c. peruenit extra de iureiu. in uerbo peruenit.

Atabulis.

**T**Abulæ dicuntur hoc in loco scripturæ uel priuatæ uel publicæ. Nā  
olima

olim in tabulis ceratis scribebatur, ut ex aliquot Plinij epistolis colligimus. Nomine ergo tabularum comprehendimus testamenta, instrumenta publica, quæ Demosthenes *δημόσια γράμματα* appellat, & priuata scripta, cuius species sunt Epistola, Aposta, Antapocha, ut annotauit Panor. in c. scripta extra de fide instru. Aposta, ut id obiter propter legē pluries, C. de fide instru. explicem, est chirographū quod debitor cum fidem suam liberat à creditore de receptis, accipit *ἀπὸ τοῦ ἀπὸ χειρῶν*, hoc est, recipere. Sicut e contrario Antapocha est quam debitor creditori facit, in præstationibus annuis necessariā propter præscriptionem, huc refer etiā scripta autentica & non autentica. Scripta autentica dicuntur, quæ certam & iustam habent auctoritatem, de quibus multa Iulianus iurisconsultus ff. de fide instru. Huc etiam refer libros rationum, quibus mercatores utuntur. Porro quomodo & quando illæ scripturæ quas iam enumerauimus probem, longū esset

esset hic recensere. Hoc ἐν τῷ τύτῳ, ut Aristotelis uerbis utar, de scripturis hic dictum sit, quod nisi autentica scriptura, & ut uulgo dicitur, originalis adsit, exemplum nihil probat in c. primo de fide instrumen. ubi multa quæ ad hunc locum pertinent Panormitanus disputat, uide & l. ij. ff. eo. ti. Præterea de chirographis & cautionibus debitorum, hoc obiter hic monebo, quod nisi in chirographis causa propter quam quis res alienum alteri debeat, exprimitur, ex illo chirographo actio non detur, tu uide de Panor. in c. si cautio de fide instru. uide & l. generaliter, C. de non numerata pecunia. Qui plurima ad hunc locum pertinentia sanè cupit, is legat titulum C. de fide instru. & extra eo. ti. Et maxime Panormitanum, qui præter alios ea quæ ad scripturarum probationem faciunt, & accuratissime & diligentissime congeffit.

A testibus.

**H**uius loci in iudicijs magnus & frequens est usus. Nam cū actor rem

rem de qua experitur, reo non in conscientiam reiecit, testibus uti solet, idēq; intra statum tempus. Nimirum à tempore recepti testimonij intra sex hebdomadas. Nō raro autem in iudicijs usu venit, ut testibus sit opus. Nam ut Arcadius in l. i. ff. de testibus inquit: adhiberi testes possunt, non solum in criminalibus causis, sed etiā in pecuniarijs libris sicuti res postulat. Porro quæ in testibus spectanda sint, ualde luculenter ostendit Callistratus in l. testium fides, ff. de testibus. Extat & libellus Bartholi nō indignus lectu, in quo omnia quæ ad hunc locum pertinent, uno (quod aiunt) fasce comprehenduntur. Cæterū rationem tractandi hoc argumenti genus, Cicero in partitionibus oratorijs ostendit. dum ita inquit: Sin autem erit etiam testium facultas, primum genus ipsum erit laudandum, dicendumq; ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione effecisse, testes effugere nō posse, deinde singuli laudentur, deinde etiā argumento firmo, quia tamen sæpe fal-

sum est, posse etiam recte non credi, ut  
 ro bono & firmo sine uitio iudicis nō  
 posse non credi. Atq; etiam si obscuri  
 testes erunt aut tenues, dicendum erit,  
 nō esse ex fortuna fidem ponderandā,  
 aut eos esse cuiusque locupletissimos  
 testes, qui id de quo agant facillime sci-  
 re possunt. Hæc Cicero. Exēpla extāt  
 in orationibus Ciceronis, & maxime  
 in oratione pro L. Flacco, & in Verri-  
 nis actionibus, apud Demosthenem  
 cum in alijs orationibus tum in illa di-  
 uina oratione pro Ctesiphonte. Con-  
 tentio est apud iurisconsultos de testi-  
 monio, quod ex auditu dat, & de ocu-  
 lato testimonio, quorum illud parum  
 admodū momenti habet, hoc uero fir-  
 mum existit, unde & illud apud Comi-  
 cum pluris est oculatus testis unus, q̄  
 auriti decē, id quod cur Socrates apud  
 Apuleium libro Floridorū primo in-  
 uertit, dicens: Pluris est auritus testis q̄  
 oculati decem, ipse uiderit.

DIALECT. LEGAL. LIBRI

QUARTI FINIS.

DIA

DIALECTICA LEGALIS A  
Christophoro Hegendor  
phino cōgesta.



Leriq; iuriscōsulti dū  
caussas agunt, in hoc  
incumbunt, ut aduer-  
sarium cauillationib;  
& ut Græci dicūt, so-  
phismatis perplexum  
reddant. Tum ut ipsi arguti esse uideā-  
tur, tum ut caussas quantum possunt  
protelent, id quod in ipsorum rem ma-  
xime tendit. Vt uero iuuenis quoq; ca-  
lumniosum illud & cauillosum argu-  
mentandi genus cognoscat, & cogni-  
tum facile dissoluere queat, hoc in li-  
bro de cauillationibus & calumniosis  
argumētationibus pauca differemus.  
Et quia de cauillationibus dicturi su-  
mus, non male congruet ut quid cauil-  
latio sit aperiamus. Vlpianus in l. natu-  
ra, ff. de uerbo, sig. Cauillationem esse  
finit, cū ab euidenter ueris per breuissi-  
mas mutationes disputatio ad ea quæ

S 4 euiden/



euidēter falsa sunt producitur, hoc est, ut huic legi lucem adferamus. Cauillatio est, cū ex eo assumpto, quod citra omnem controuersiam uerum est, dissimiliter acceptis terminis, quod falsum est efficiamus. Exempli gratia, dum ita rationamur: Res diuinæ sunt in bonis nullius, quod in bonis nullius est conceditur occupanti, Ergo, res diuinæ cōceduntur occupanti. Quod à uero alienum est, & uox nullius dissimili ratione & in maiore & minore ponitur. Nā primo censura, secundo secundum naturam, ut annotauit Accursius in l. iam dicta. Hic uides quomodo ab eo assumpto, quod uerum est, dissimiliter acceptis terminis, quod falsum est efficiat. Greci hoc genus cauillationis σοφισμα appellat, unde sophista dicitur autore Suida ὁ ἐπιηρέαζων ἐκὼν ἐν τοῖς λόγοις, hoc est, qui in uerbis ultro & uolens calumniam struit & cauillatur, quanquam olim sophista is dicebatur, qui philosophiam docebat, & ita honestū erat nomen, ut Philostratus & M. Victorinus ostendunt,

ostendunt. Verum quādo id genus hominum, ut ferè fit, relicta sua professione λογωμαχῆν, & ut Aristophanis uerbis utar λεπτολογεῖν καὶ περιέκασιν εὐλογοῦν inciperet, hoc nomen in contemptum & contumeliam propemodum abibat Nam sophistæ dicebantur plani & sycophantæ, ut Plutarchus autor est. Est ergo, ut dixi, cauillatio cum quis sciens prudens falso argumento fraudē struit, aut uerba aucupatur, de qua cauillatione & Cicerō in oratione pro Cecinna loquitur, dum sermo, inquit, hercle familiaris & quotidianus non cohærebit, si uerba inter nos aucupabimur. Deniq; imperium domesticum nullum erit, si seruilis hoc nostris concesserimus, ut ad uerba nobis obediānt, non id quod ex uerbis intelligi possit obtemperent. Vnde bellus est iocus Aesopi, qui missus à domino lentē emere perinde ac iussis domini obtemperaret, unicam lentem emittit, cū ab herō indefinitam lentem emere iussus esset, ubi quoq; Aesopus cauillatione &

uerborum captatione aduersus herum suum usus est. Ceterū illud cauillationis genus de quo uerba facere instituit, autore Aristotele in Elenchis trifariam fit, aut cum argumentū in materia peccat, aut forma aut in utroq;. In materia quidem dum aut ex amphibolis ratio namur, aut plures quā tres termini in syllogismum recipiuntur. Exemplū uocis amphibolæ adfert Accursius in l. ea est, ff. de reg. iu. Res diuinæ in bonis nullius sunt, Quod in bonis nullius est, occupanti conceditur, Ergo, res diuinæ occupanti conceduntur. Vbi nullius ἀμφιβολῶς accipitur. Nam in maiore propositione ad hominē referitur, in minore tam ad hominem quā deum. Res enim diuinæ in bonis nullius scilicet hominis sunt, in bonis tamen dei sunt hominum scilicet constitutione, & ad eius honorem destinatæ, ita hunc Gordium nodum Accursius dissecat. Item, fructus rei est pignori dare licere, l. fructus, ff. de reg. iu. & l. si. ff. de usu. Sed omnis fructus rei pertinet ad

ad fructuarium l. septima, ff. de usufru.  
 Ergo, licere dare pignori pertinet ad  
 eum, quod à uero est alienum, ut est ui  
 dere in l. interest, C. de usuf. Vbi est am  
 phibolon in uerbo fructus, ut quod in  
 maiore propositione pro utilitate qua  
 dam collatur, in minore pro cōmodo  
 ex ipsa re proueniente. In forma pec  
 cat argumentum, cum non obseruant  
 rationes, quas superius de argumenta  
 tione tradidimus, ut, Omnis seruus in  
 potestate est, Filius familias est in pote  
 state, Ergo, filius familias est seruus.  
 Hic in forma peccatur, & est paralogi  
 smus, autore Aristotele. Nam non est  
 modus in secunda figura syllogistica,  
 ad quem hic syllogismus referri possit.  
 In materia & forma peccatur hoc mo  
 do: Quilibet seruus pro mortuo habe  
 tur, Nemo alieni iuris non est, q̄ seruus  
 non sit, Qui igitur alieni iuris non est  
 pro mortuo habetur. Amphibolon est  
 in uoce seruus, nam in maiore proposi  
 tione ponitur pro seruo aut nato, aut  
 iure ciuili, aut gentium facto, §. serui,  
 insti.

insti. de iure perso. in minori accipitur pro illo, q̄ quoquo modo alterius dominio subest, licet seruus nō sit. Et hoc quidem materiæ uitiū est, in forma uero uitiū est, quia nō est modus in prima figura syllogistica, ad quem hæc ratio natio accommodari queat. Cæterū non raro etiam fallacia committitur in locis quos paulo ante in thematib. tractandis consulendos esse ostendimus. Sic aliquādo aduersario fraudem struimus ex falsa & non sufficiente finitione, ut si quis ita ratiōnaretur: Manifestus fur est, quem Græci ἐπιτελεστής appellunt, qui in ipso furto deprehenditur, Titius nō in ipso furto deprehensus est, Ergo, non est manifestus fur. Hic non sufficiens est finitio. Nam manifestus est fur nō solum is, qui in ipso furto deprehenditur, sed etiam is, qui in eo loco deprehenditur quo furtum fit, §. manifestus fur, insti. de oblig. que ex del. nas. Falsa est finitio, cum ita ratiōnor. Protestatio est clamorosa testatio, q̄ ob testantis ipsius cautionem inuenta est

est, Sempronius in occulto uel corā testibus uel scriptura absq; clamore animi sui sententiam testatus est, Ergo, nō protestatus est. Hæc falsa est finitio protestationis. Nā & absq; clamore in occulto etiam protestatio fieri potest corā testibus & scriptura, quæ *ἀνεργῶς* clamare censetur. I'um non raro & in alterius quā protestantis cautionē inuecta est, ut cum alterius loco protestationem facimus, quod in aliquibus speciebus conceditur, l. i. C. si per uni. Itē, cum publici commodi, Ergo, denunciamus. Sed de hac fallacia satis. Aliquando & fallacia committitur,

Ex uitiosa partitione.

Omnis tutor aut est testamentarius aut legitimus, Sempronius nec est testamentarius nec legitimus tutor, Ergo, nulla tutela fungit. Est insufficiens enumeratio. Nam sunt etiā tutores datiuī & fiduciarij, de quibus in instit. & in ff. Sic est cum colligo, Dominiū rerum iure naturali acquirimus, occupatione, captiuitate, inuentione, procreatione,

tionem, alluione, &c. Sed Sempronius se hanc rem nec occupasse, nec captiuasse, nec inuenisse, nec procreatione, nec alluione acquisiuisse docebit, Ergo, istius rei dominium iure naturali non habet. Hic quoque insufficientis est enumeratio. Nam praeter modos dictos sunt etiam alij modi acquirendi dominium rerum iure naturali, ut est uidere in *insti. de rerum diuisi.*

Ex causa non sufficiente.

**E**Tiam fallacia struitur, ut si ita colligam: In hereditate res corporales continentur, Ergo, est corporalis, non est sufficiens causa. Nam ut *Caius iuriscōsultus* inquit l. 1. ff. de rerum diuis. quamuis in hereditate res corporales continentur, tamen ipsum ius successionis est incorporale. Sic est cum colligo: Non dos ulla est data, Ergo, matrimonium non est contractum, est insufficientis causa. Etenim ut *imperator* in l. cum multæ, C. de dona. ante nup. inquit,

quit, sicut dos propter nuptias fit, & si-  
 ne nuptijs quidem nulla dos intelligit,  
 sine dote autē nuptiæ possunt celebra-  
 ri. Item, quādo ita argumentor: Titius  
 tutor est pauper, Ergo, ut suspectus re-  
 moueri debet: Non est sufficiens caus-  
 fa. Nam tutor quamuis pauper est, fide-  
 lis tamen & diligens remouendus nō  
 est quasi suspectus. Sed iam tēpus est  
 ut ad Aristotelem redeam, qui in Elen-  
 chis suis duo fallaciārū genera esse re-  
 censer, unū quod appellatur in dictione,  
 alterum quod extra dictionem. Fal-  
 latia in dictione est, quando uox & di-  
 ctio una est amphibola, & proinde in-  
 cautum in laqueum inducit. Itē, quan-  
 do ambiguum sermonis genus profer-  
 tur, Et fit primum in æquiuatione.

#### Æqui-uocatio.

**E**st cum aut uox plura significās,  
 aut aliqua metaphora inter argu-  
 mentandum fucum aliquem nobis fa-  
 cit, ut, Sacerdotes sunt sacrosancti, Iu-  
 riscom



risconsulti sunt sacerdotes, l. 1. ff. de iur/  
 sti. & iur. Ergo, iurisconsulti sunt sacro/  
 sancti. In hoc argumēto est quædā am/  
 phibologia & æquiuocatio in uoce sa/  
 cerdos. Nam in maiore accipitur pro/  
 prie pro illo, qui sacra hominibus sub/  
 ministrat, & pro peccatis hominū piās  
 preces ad deum fundit, & deū placat,  
 tum qui sacrorum rationem populo  
 expromit, et quæ piæ quæ impiæ sunt po/  
 pulo ostendit. In minore uero accipit  
 quodammodo metaphorice, dicam an  
*παραβολικῶς* pro illo, qui responsa ex  
 iure cōsulentibus promit, & quæ æqua  
 quæ iniqua sunt hominib. demonstrat.  
 Vnde Seruius Sulpitius à Quintilia/  
 no iuris antistes appellatur, ut sacrorū  
 antistites dicuntur. Sic æquiuocatio est  
 cum ita colligo: Adulter lege Iulia pu/  
 niendus est, Titius rationes adulterat,  
 Ergo, lege Iulia puniendus est. Hic rur/  
 sus est æquiuocatio uocis. Nam adul/  
 ter in maiore proprie usurpatur, in mi/  
 nore metaphorice pro conturbare uel  
 falso describere, falsare quomodo adul/  
 terinam

terinam monetam & adulterinam scientiam dicimus. Exemplum fallaciæ æquiuocationis est etiã apud Speculatorem in ti. de dispu. & allega. Et est hoc: Quicumq; habet mancipium, in redhibitionis causa tenetur illud exhibere, l. fi. C. de edil. acti. Sempronius habet seruum mortuũ, qui est in causa redhibitionis, Ergo, tenetur seruum exhibere contra l. quod si nolit, ff. de ed. ed. Vbi est æquiuocatio in uerbo exhibere, quod aliquando significat probare, ut d. l. fi. Aliquando significat facere copiam contrectandi & apprehendendi, ut in d. l. quod si nolit. Vfus est æquiuocatione uocis & Martialis ut hoc delectandi iuuenes iuris ciuilibus studiosos gratia ostendam, dum ita in Posthumum scribit:

*Hesternum factum narratur Posthume cœna*

*Quod nollem, quis enim talia facta probet?*

*Ostibi præcisum, quanto non ipse Latinus*

*Vilia Panniculi percutit ora sono.*

*Quodq; magis mirum est, autorem criminis huius*

*Cecilium tota rumor in urbe sonat.*

**T**

*Esse*

Esse negat factum, uis hoc me credere, credo

*Quid? quod habet testes Posthume Cecilius.*

Vbi est æquiuocatio festiua in uoce testes. Porrò est & fallacia dictionis, cum oratio ambigua profertur, quæ autore Quintiliano etiam amphibologia appellatur.

### Amphibologia.

**E**T fit sæpe per casus, ut Labeonem Vlpianum elegantia orationis uincere credo; nam hoc incertum, an Labeo Vlpianum, an Vlpianus Labeonem elegantia orationis uincat. Fit & per collocationem, sic si quidam in testamento iussit poni statuam auream hastam tenentem, controuersia est, an statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta esse aurea in statua alterius materiae. Aliquando etiam dubitatur utri duorum antecedentium sermo subiunctus sit, ut cum dico; Hares meus uxori meae dare dānas esto, argenti quod elegerit pond. centum. Hic uter eligat quarit. Fit & fallacia dictionis in compositione & diuisione.

Compos

## Compositio &amp; diuifio.

**H**Aec fallacia est, cum aut perturba-  
ta uocum compositione Greci uo-  
cant *ὑπερβασις*, aut mutila oratione in  
fraudem illicimur. Exemplum composi-  
tionis hoc esse potest: Quicumq; scit le-  
ges nunc didicit eas, Sempronius uetu-  
stus iurisconsultus scit leges, Ergo, nūc  
didicit eas. In maiore incertū est an nūc  
referat scit, an didicit. Exemplū diuifio-  
nis, hoc pleriq; adferunt. Quacūq; sunt  
duo & tria sunt duo & tria, Quinq; sunt  
duo & tria, Ergo, quinque sunt duo &  
quinq; sunt tria. Hic uitium est, quod &  
potest coniungere dictiones, & est sen-  
sus, duo & tria simul iuncta faciūt quin-  
que, aut potest coniungere propositio-  
nes, & sensus est, duo sunt quinq; & tria  
sunt quinq;, quod à uero abhorret, non  
aliter atq; si ita colligeremus, Titius &  
Sempronius trabem furto subtraxerūt,  
Ergo, Titius solus trabē furto subtraxit  
in l. ita uulneratus in si. ff. ad legem Aq.  
Huc refer leges truncatas, quibus saepe  
in iudicijs aduersarij capiūtur, & in frau-

dem illiciuntur. Nam in foro hoc solenne est, unam aut alteram sententiam ex lege excerpere. Et illam ad causam probandam aut improbandam accommodare. At si totam legem introspicias, uides miram calumniam & fraudem esse factam. Exempla quotidianæ actiones forenses facile suppeditabunt. Aeschines certe de Demosthene conqueritur, quod truncatas leges adferat. Sic enim inquit in oratione contra Ctesiphontem: καὶ χεῖρονται τῶν μέρῃ τινι λελεπθόντες τὴν ἀκροασίαν ὑμῶν, καὶ παρέξονται νόμου οὐδὲν προσήκαντα τῇ γραφῇ, id est, Et particula quadam legis utentur irrepentes in aures uestras & legem quæ presenti actioni non congruit, proferrēt, &c. Fit & fallacia ex accentu.

Ex accentu.

**V**T cum ita rationor: Qui ad aram confugit est liber, Titius ad haram confugit, Ergo, Titius est liber. Hic uides ex accentu fraudem parari, nam cum ara attenuatur altare significat, hoc est, locum

locum in quo deo immolatur, ad quem locum quondam qui confugiunt, non temere abstrahi possunt. Vnde apud Plautum *παρορμία* ad aram confugere pro ad locū tutum se recipere. Hara uero cum adspiratur significat stabulū porcorum, & ut aliqui uolunt, auium. Vnde illud Ouidij:

*Tertius immundæ cura fidelis haræ.*

Et hactenus quidē fallacias, quæ in dictione usuueniūt, explicauimus. Nūc restant explicandæ fallaciæ, quæ extra dictionem committuntur, hoc est, dum in propositionibus copulandis toto aberratur cœlo, & ut in prouerbio est, *ἔξ ἄλλοις σχοινίοις πλέκεται*, & sunt:

### Fallacia accidentis.

**E**T est, autore Aristotele, quando idē attribuitur subiecto siue essentiz & accidenti, ut cū ita colligo: Titius est alius à Meuiō, Meuius est homo, Ergo, Titius est alius ab homine. Argumentum planè est friuolum. Nam non

T 3      secun

secundum naturā Titius est alius à Me-  
 uio, sed per hypostasim & proprietatem,  
 quæ circa naturam sunt, non autem na-  
 turæ. Conclusio uero proprietatem ab  
 his quæ sunt circa naturam ad naturam  
 transtulit. Ex fallaciâ accidentis colligi-  
 mus etiã hoc modo: Omnis locuple-  
 tatio cum iactura alterius est fugienda,  
 l. nam natura, ff. de condic. in deb, Præ-  
 scriptio est cum alterius iactura, Ergo,  
 præscriptio est cauenda contra l. iij. ff. de  
 usuca. Hic uariãtur termini ex eo quod  
 accidit præscriptio, quod exemplum ad-  
 ducit speculator in tractatu de dispu. &  
 allega. Item fallaciâ accidentis fit cum ex  
 aliquibus diuisim sumptis male effici-  
 coniuñctum, ut, Iste seruus est hæres, &  
 est tuus, Ergo, est seruus tuus. Hic ex di-  
 uisis & diuersis accidentibus male con-  
 iuñctum elicitur.

Secundum quid ad simpliciter.

**E**T fit hæc fallaciâ, quãdo ex aliquo  
 secundum quid dicto, id est secun-  
 dum

dum circumstantiam quandam, illud quod simpliciter est, tale efficere uolumus. Porro in hac fallacia quando ratio natur à secundum quid ad simpliciter affirmatiue, id fit, cum uero à simpliciter ad secundum quid negatiue. Exempla sunt: Vxorem adulterā dimittere licet, Ergo, uxorem dimittere licet. Hic aperta fallacia est, nam in priore propositione & antecedente secundum quid dictū est, nec à uero abhorret, sed in cōsequente dictum est simpliciter, & à uero alienū est. Talis est ratio & hæc: Nulla foemina potest legem cōdere, l. ij. C. de leg. Omne testamentum est lex. §. disponat autem, de nup. Ergo, nulla foemina potest testamentum condere, quod planè contra omnia est iura, sed fallacia est in argumēto. Nam in maiori accipitur lex simpliciter pro sentētia generali, quæ bona præcipit & mala uetat, ut legem finit Aristoteles in quinto Ethicorum. Sed ex hoc non efficitur, quod mulier testamentum condere nequeat, quod lex est secundum aliquid, hoc est, quodāmodo.



Petitio principij seu negatio.

**F**It autore Aristotele, cū idem in cō-  
 clusione repetitur, ut, Fideiubere  
 est pro alio promittere, §. 1. insti. de fide-  
 iusso. Pro alio promittere est se pro alio  
 obligare, Ergo, fideiubere est pro alio  
 promittere. Item, Tutor est, Ergo, tutela  
 fungitur. Titius contrectauit fraudulen-  
 te rem alienam, Ergo, Titius contrecta-  
 uit fraudulente rem alienam inuito do-  
 mino. Item, Equus tuus pauperiem fe-  
 cit, quia ab equo, Ergo, pauperies est fa-  
 cta. Est & negatio, cum ita dicimus: Cre-  
 ditor pignoris alienationi consentit, sal-  
 uo iure suo, ut est glo. l. si debitor, §. 1. ff.  
 quibus mod. pig. In orationibus nō in-  
 decorum est, si quis tautologia modice  
 utatur, hoc est, eandem rem mutatis uer-  
 bis efferat, ut si quis dicat, ille crebro præ-  
 scriptione obiecit, & non raro exceptio-  
 ne usus est: at in probationibus ineptū  
 est, & planè ridiculū, si quis idem in con-  
 clusione repetat. Porrò est &

fallacia consequen-

tis.

Fallacia

## Fallacia consequentis.

**E**T fit quando consequens ex antecedente non necessario consequitur. Sic consequentia à superiori ad inferioris citra signum uniuersale exhibitur, ut, Magistratus est, Ergo, iudex est, Ergo, currulis plebis est. Conuentio est, Ergo, publica conuentio est. Donatio est, Ergo, donatio propter nuptias est, uel ut Iulius Pollux inquit, τὰ πρὸ τῶν γάμων δῶρα. Actio est, Ergo, actio donum dati est, quam Demosthenes cōtra Mediam βλάβης δίκην appellat. Item, Actio est, Ergo, βλάβης δίκη τ̄ τετραπόδων est, hoc est, actio ob pauperiem à quadrupede factam, quæ lex à Solone est lata, autore Plutarcho in uita Solonis. Præterea ab inferiori ad superius negatiue nihil efficitur, ut nec emptio, nec uenditio est, Ergo, nullus cōtractus est. Nec interdictum uti possidetis nec utrobique est, Ergo, nullum interdictum est. Tutela legitima non est, Ergo, nulla tutela est. A signis quoque σκινῶς colligit, ut, Collocutus est clam cum puella, Ergo,

T s go,

go, puellæ vitium obtulit. De eadē Titij appellatus expalluit, Ergo, Titium occidit. Rubet, Ergo, conscius sibi est, Iuxta illud Poëtæ:

*Rubet auditor cui frigida mens est  
Criminibus tacita sudant precordia culpa.*

Nec satis firmæ colligitur à

Cessante caussa.

**S**ic nō consequitur, Tabellio publicus est, Ergo, tabulas publicas conficit. Item, Faber aurarius est, Ergo, scyphum facit. Iurisconsultus est, Ergo, aut iura interpretatur, aut consultoribus dat consilia.

Secundum non caussam ut  
caussam.

**H**æc fallacia est, quando non satis accomodatam caussam rei adferimus, ut cum ita colligo: Iurisconsulti sæpe lites inter homines excitant, Ergo, iurisprudentiæ est litium seminarium. Hic non satis apposita caussa adfertur, quod iurispru-

iurisprudētia sit litium seminariū . Nam stultū est uitiā hominū ipsis artib. impu-  
tare, quod homines faciunt ipsis artibus  
attribuere . Sic etiam colligunt multi.  
Aduocati quamuis iniquas caussas de-  
fendūt, Ergo, ius ciuile est ars iniqua do-  
cens. Est quoq; hic falsa caussa. Nā que,  
malum, uesania est ex hoc probare ius  
ciuile iniqua docere, quod aduocati qui  
bus nihil lucro prius est, iniqua defen-  
dunt. An uero prudentis est uitiā aduo-  
catorum iure ciuili imputare?

Plures interrogationes.

**H**Aec fallacia fit, quando plura de  
uno, aut unum de pluribus inter-  
rogamus. Exempli gratia: Si quæras, an  
actio sit idem quod obligatio, & deinde  
quæras quid ergo sit actio, & quid obli-  
gatio. Nimirum quod actio sit ius quo  
aliquid persequor. Obligatio ius per  
quod aliquid persequimur. Postremo  
quæ caussa actionis, quot genera actio-  
num, &c. Item, si quæras an actiones in-  
ter

ter corporales aut intercorporales numerari debeant. Item, an emptio & uenditio sit contractus iuris gentium, an iuris ciuillis, &c.

### Ignorantia elenchi.

**S**ub hac fallacia, autore Aristotele, Somnes paralogismi comprehenduntur. Est autem paralogismus falsa & subdola argumentatio à παραλογίζομαι, quod est falsa & subdola argumentatione utor. Cæterum ἔλεγχος apud Græcos firmam probationem significat, quare ignorare elenchum, est infirme & subdole argumentari καὶ παραλογίζεσθαι, ut Aristotelis uerbo utar. Non est quod hoc loco exempla proferam, cum omnes fallaciæ à me relatæ hunc ad locum referuntur, quare huius loci exempla ex superioribus fallacijs require. Hoc de fallacijs iuuenem admonitum uolo, illas facile & deprehēdi, uel ut Aristotelis uoce utar, ἐλεγχέσθαι, & etiam dissolui posse, si regulas quas superius de syllogismorum rationibus

rationibus tradi bene perspectas habeamus. Sed tempus est, ut finē Dialecticæ Legali imponamus, quā nullo alio nomine rursus subincudem uocatam publico donamus, quā ut quantus dialecticæ in iure ciuili usus sit, iuuenes studiosos iuris commonefaciam. Nee dubito quin iuuenes iuris candidati mea opera excitati, & leges diligenter ad dialecticæ præcepta exacturi, & illam in forum aliquando pducturi sint. Id quod si fecerint, & leges haud dubie melius, quàm plerique dialecticarum præceptionū, uel contemptores uel ignari intellexerunt, intelligent, & disertius quàm dialecticæ ignari dicent semper. Nam notum est, quid de Sulpitio iuriscōsulto Cicero scribat, nempe quod is quando dialecticæ peritus fuit, disertius cæteris iuriconsultis dialecticæ ignaris, & consultius de iure responderit semper, & disertius etiam causas in foro egerit.

DIALECT. LEGAL. LIBRI  
Quinti & ultimi Finis.



# DE DEFINITIONIBVS ET DI uisionibus Libellus.



**Q**UAMVIS in iure  
 ciuili nō tam exactæ  
 finitiones & diuio  
 nes rerum reperiu  
 tur, quā philosopho  
 rum sunt, tamē  
 quando & suæ iuris  
 consultis finitiones iuxta diuisiones &  
 quidem uariæ existunt, libellum quen  
 dam peculiarem de illis conscribere uo  
 luit, tum ut iuuenes ad obseruandas tum  
 finitiones, tum diuisiones in iure ciuili  
 excitentur, tum ut omnia quæ à dialecti  
 cis traduntur, à iurisconsultis quoq; ob  
 seruari quoquo modo posse cōdiscant,  
 sed

sed primo agemus de finitionibus.

Quid finitio.

**F**initio, autore Cicerone in Topi-  
cis, est oratio, quæ id quod definit  
explicat quid sit.

Ex quibus constet finitio.

**F**initio uero constat ex genere, diffe-  
rentia, proprio, autore Bartholo in  
l. i. ff. de testamen.

Leges finiendi.

**I**N finitionibus rerum sunt obseruan-  
da certæ leges, quarum prima est fini-  
tio, naturam rei explicatio. Secunda, de  
quocunq; finitio dicitur, de illo & diffi-  
nitum dicatur, ut, Si hæres est quicunq;  
succedit in uniuersitate bonorum, l. hæ-  
reditas, ff. de regu. iuris, Sempronius suc-  
cedit in uniuersis bonis testatoris, Ergo,  
Sempronius est hæres. Tertia definitio  
rei



rei definitæ tantum conueniet. Proinde cum Seruius dolum ita definisset, dolum est machinatio quædã alterius decipiendi, cum aliud simulatur, aliud agitur. La beo illam definitionem oppugnauit, ut quæ non tantum rei definitæ conueniret, etenim posse sine simulatione id agi, ut quis circumueniatur posse & sine dolo malo aliud agi, & aliud simulari per l. 1. ff. de dolo malo. Sic cum protestatio à quibusdam finitur, quod sit clamorosa testatio, quæ ob testatõis ipsius cautionem inuenta sit. Hæc definitio reiicitur, siquidem & sine clamore & in occulto protestatio fieri potest, uel coram testibus uel scriptura. Et hoc est quod Cicero in Topicis scribit, nempe ita finiendum esse, ut cum sumptimus ea quæ sunt rei quæ definire uelimus cum alijs communia, usq; eo persequamur, dum proprium efficiatur, quod nullam aliã in rem transferri possit. Verbi gratia, dũ ita dico, hæreditas est pecunia commune adhuc, & multis alijs est conueniens, quæ hæreditas non sunt uel donationibus, uel fur-

tis,

tis, uel quibuslibet alijs rebus pecunia  
rijs, q̄ minime hæreditates sunt, Huic  
igitur addendum est, quæ morte alicuius  
ad quempiam peruenit, quamuis  
ne id quidem plenum est, multis enim  
modis sine hæreditate teneri mortuorū  
pecunię possunt, bello, spoliatiōe. Ad  
dendum igitur est iure, sed nec adhuc  
satis est, nam & testamenta iure fiunt,  
& pecunia iure legatur, adijciendū est  
igit, nec ea legata testamento nec pos  
sessione retenta, iam finitio absoluta et  
propria est, hoc modo: Hæreditas est  
pecunia, quæ morte alicuius ad quem  
piam peruenit iure, non legata neque  
possessione retenta. Quarta lex, defini  
tio uoces ambiguas ne recipiat, sed de  
legibus definitionū satis, uenio ad defi  
nitionum formulas.

Formulæ definitionum.

**B**Oëtius Seuerinus in libro de dif  
finitionibus quindecim finitio  
num formulas recenset:

**V**

**Quæ**

- 1 *Quæ ὑσώδης*, id est, substantialis dicitur.
- 2 *ἐννοηματικὴ* uel notialis.
- 3 *Descriptio.*
- 4 *ποιότης*, id est, qualitatē rei ostendens.
- 5 *κατ' ἀντίληξιν*, quam latine ad uerbū dicere possumus.
- 6 *κατὰ διαφοράν*, quæ differentia dici potest.
- 7 *κατὰ μεταφοράν*, id est, per translationē.
- 8 *κατὰ ἀφάρισιν ἢ ἐναντίου*, id est, per priuantiam cōtrarij eius quod definit.
- 9 *κατὰ ὑποτύπωσιν*, id est, per quandam informationem.
- 10 *ὡς τόπος* latine ueluti, uel ut secūdum figuram dicam.
- 11 *κατὰ εὐδείαν-πλήροσ ἐκ ἢ ὁμογένοσ*, id est, per indigentiam pleni ex eodem genere.
- 12 *κατὰ ἔπαινον*, id est, per laudem.
- 13 *κατ' ἀναλογίαν* id est, iuxta proportio-  
nem.
- 14 *κατὰ ὁ πρόσ τι*, id per quod ad aliquid.
- 15 *αἰτιώδης*, id est, causalis.

Hactenus ex Boëtio recēsuimus for-  
mulas

mulas finitionū, quorū exempla in iure ciuili ostendere pro uirili nostra elaborabimus.

Finitio essentialis.

**F**initio essentialis est, quādo essentiam & naturam rei alicuius explicamus, & cōstat genere & differentia, ut testamentum est uoluntatis nostrae iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri uoluit, cum heredis institutione, in qua diffinitione sententia ponitur loco generis, reliquae uocabulae, differentiae loco collocantur, ut doctissime explicat Bartholus in l. i. ff. de testamen. Finitio essentialis est & illa: ius est ars æqui & boni, nam ars generis loco defungitur, æqui & boni differentiae sunt. Quamuis, ut obiter hoc moneam, ius hoc loco pro legum cognitione ponitur. Vide Accursium l. i. §. ius est, ff. de iusti. & iu. Exempla huius generis finitionis, quamuis non ita multa in iure ciuili sunt, nam iurisconsulti nō semper exactae, sed ex communi regula substantias rerum describūt,

tamen aliqua reperiuntur, quæ studio  
 sus iuuenis diligenter etiam atq; etiam  
 obseruet.

Definitio *ἐννοηµατικὴ*.

**E***ΝΝΟΗΜΑΤΙΚΗ* definitio dicit, quan-  
 do rei notio utcunq; describitur,  
 cuius generis finitiones in iure multæ  
 sunt, ut dum iudicium ita finitur: Iudi-  
 cium est actus trium personarum in  
 iudicio contendentium. Hic qualis  
 notio iudicij descripta est: nam si ue-  
 hementer urgeas, nō ita per omnia so-  
 lida finitio iudicij erit, quādo & absq;  
 actore aliquādo iudicium sit, quale est  
 iudicium inquisitionis. *ἐννοηµατικὴ* si  
 nitio est, cū dos finitur esse illud quod  
 propter onera matrimonij uiro datur.  
*ἐννοηµατικὴ* finitio est, cum ita filius ab  
 Ulpiano finitur: Filius est, qui ex uiro  
 & uxore eius nascitur, l. filiū, ff. de his  
 qui sui uel alix. iur. Sic uulgo concepti  
 finiuntur, qui patrem demonstrare nō  
 possunt, l. uulgo cōcepti, ff. de statu ho-  
 mi. Sic senatores finiuntur esse ij, qui à  
 patricijs & consulibus usq; ad omnes  
 uiros

uiros illustres descendunt, l. nuptiæ, ff. de senatus.

Descriptio.

**D** Escriptio est cum qualis uel res uel persona est describitur, ut si iuriconsultus describat qualis sit res, quam alicuius nomine petat, id quod in actione reali fit, in qua si res est immobilis per loca, per latera, per confinia, describitur l. forma, ff. de censi. & l. in rem in fi, ff. de rei uend.

ΠΟΙΟΤΗΣ.

**Π** οίότης est, quando qualitas uel functio tã rei quã personę describitur, quæ, ut ego arbitror, non ita multũ à descriptione discrepat, ut nauata est, qui nauem exercet, uel qui nauis causa in nauis est, l. 1. §. qui sunt, ff. nauarũ caupones, &c. Item, surdus est, qui omnino non exaudit. Mutus est, qui omnino non loquitur, §. item surdus, instit. quibus non est permissum, &c. Item corporales res sunt, quæ tangi & cerni possunt. Incorporales res sunt, quæ tangi nō possunt, instit. de reb. cor

po. & incorpo. Item patroni sunt, qui ex seruitute manumiserunt, l. ad optimum, ff. de iu. ius uo.

*κατ' ἀντίληξιν.*

**K**AT' ἀντίληξιν fit finitio, in qua sequens uox priorem interpretatur, ut cum dico: Donatio est doni datio, exceptio est actionis exclusio, l. i. ff. de excepti. Instrumentum est, quod instruit causam. Testamentum est, testatio mentis, §. i. insti. de testam. de peccatus est turpiter pactus, l. iij. §. hoc edito, ff. de calum. quæ finitio, ut ego sentio, ab etymologia non differt.

*κατὰ διαφοράν.*

**H**AEC definitio est, cum per certam differentiã res à re differre ostendit, ut Apostoli dimissorijs sunt literæ, quæ appellanti dantur à iudice, qui appellationi derulit, Ergo, differunt ab Apostolis refutatorijs & reuerentialibus, quorum illi sunt literæ datæ appellanti à iudice, qui appellationi nõ derulit, ij uero sunt literæ datæ appellanti à iudice, q̄ dubitauit an appellationi deferen-

ferendum esset, hic audis per differentias quasdam Apostolos uarios uariæ finiri. Sic exceptio dilatoria est, quæ dif- fert actionem, peremptoria quæ peri- mit actionem l. ij. §. sanè, & l. i. ff. de excep. Exempla huius generis finitionis in ll. sunt innumera.

Finitio per translationem.

**V**T exceptio est actionis illusio, sic obligatio finitur esse iuris uin- culum, quo necessitate astringimur ali- cuius soluendæ rei, §. i. insti. de obliga. Sunt uero metaphoræ, uinculum iuris astringi, sic calumniari est falsa crimi- na intendere, l. i. §. calumniari, ff. ad se- natufconsul. Turpilía. Est uero metha- phora in uerbo intendere ducta, uel à uenatoribus, qui retia intendunt ad ca- piendas feras, uel à sagittarijs inten- dentibus arcus.

Finitio per priuationem  
contrarij eius.

**V**T quando dico: Bonum est quod malum non est, stipulatio præto- ria est, quæ non conuenionalis est, §. i.



insti. de diuisione. stipula. Iustum est, & d  
 iniustum non est. Sic iniuria generaliter  
 dicitur omne illud, quod iure non fit,  
 §. 1. insti. de iniu. Iure fieri & iniuria cō  
 traria sunt, cōtractus est, qui distractus  
 non est. Merum imperium est, quod  
 non mixtum est, l. 1. ff. de iurisdic. Hu  
 ius generis finitionis memor est etiam  
 Cicero in partitionib. oratorijs.

Finitio per informationem.

**I**lla finitio fit, quando aliquam per  
 sonam luculēter describimus eam  
 uel laudantes, uel uituperantes. Sic Iu  
 stinianus in Titulo, C. de nouo codice  
 faciendo Leontium describit, quod sit  
 uir excellentissimus, ex quaestore sacri  
 palatii, consularis, patricius, sic descri  
 bit Tribunatum, quod sit uir magnifi  
 cus, magisteria dignitate decoratus.

Finitio *ὡς τινος*.

**H**Aec finitio uocatur à Boëtio fini  
 tio ueluti, & fit quando ostendi  
 tur unam rem ita finiri, ut altera finiat.  
 Verbi gratia, si quaeratur quid sit ius gen  
 tium. Respondeatur, ut ius naturae. Itē,  
 ff

si queratur quid sit matrimonium? Re  
spondeatur, ut nuptiæ, §. ut nuptiæ, in  
f. de patria potestate.

Finitio per laudem.

**S**ic Papinianus legem finit, Lex est  
cōmune præceptum, uirorum pru  
dentum consultum, delictorum quæ  
sponte uel ignorantia cōtrahuntur, cō  
munis reipub. sponsio, l. i. ff. de leg. Sic  
sunt illa in l. i. de iust. & iu. Ius est ars  
æqui & boni, cuius nos merito sacer  
dotes appellet, iustitiam nãq; colimus,  
& boni & æqui normam profitemur,  
ueram, ni fallor, philosophiam non si  
mulatam adfectantes.

Finitio iuxta rationem uel  
proportionem.

**C**um inter res aliqua similitudo  
& proportio esse ostenditur, sic  
latior culpa dolus est, l. quod nerua, ff.  
depositi, ius naturæ est idem quod ius  
gentium, intentio apud Rhetores est  
id quod intentionem uocant iuriscō  
sulti. Depulsio apud Rhetores est id  
quod depulsionē iuriscōsulti appellāt.

V 5 Finis

Finitio ad aliquid.

**H**Aec finitio habet locum in relati-  
uis. Sic creditor est, qui habet de-  
bitorem, sic patronus est, qui habet cli-  
entem.

Finitio causalis.

**E**st quæ ex causis conflatur, sunt  
autem causæ quatuor, causa effi-  
ciens, materia, forma, finis, à causis ef-  
ficientibus est finitio illa: Lex est quod  
populus Romanus senatorio magi-  
stratu interrogante, ueluti consule con-  
stituebat, §. lex est, insti. de iure natura-  
li gentium, &c. nam lex ferebatur per  
populi rogationem. Etenim Quirites  
à consulibus rogabantur, uellent, iube-  
rēt ne quid fieri, qui si sciuissent, id est,  
cōfirmassent, lata sancitaq; lex erat, etc.  
Ex quibus omnibus colligimus roga-  
tionem consulis, & consensum popu-  
li legem effecisse. A materia ita ducun-  
tur finitiones, ut res corporales sunt q̄  
tangi cerniq; possunt, lignū est quod  
comburendi gratia comparatum, & à  
solo diuulsum est, l. ligni de lega. iij. A  
forma

forma ita finitiones ducuntur. Seruitus est, qua quis dominio alieno cōtra naturam subijcitur, §. seruitus, insti. de iure person. est enim hic expressa forma, qua uictor uictos cōtinet. Sic mācipia finiūtur esse homines, qui ab hostibus manu capiuntur, §. serui, insti. de iure persona. Sic manumissio finit esse datio libertatis, l. manumissiones, ff. de iusti. & iu. A fine ita ducuntur finitiones. Publicum ius est, quod ad statum rei Romanæ spectat. Priuatum, quod ad singulorum utilitatem, l. 1. §. huius studi, ff. de iust. & iu. Hactenus explicauimus exemplis è iure ciuili ductis, finitionum genera, quæ Boëtius in libro de Diffinitionibus recēset. Venio nunc ad Ciceronem, qui & in Topicis aliqua finitionum genera recenset, unum earum quæ sunt, alterum earum quæ intelliguntur esse, ea dicunt, quæ tangi cerniq; possunt, quæ à Iustinia-  
no res corporales appellantur, §. unico, insti. de reb. corpo. & incorpo. ut sunt fundus, ædes, paries, stillicidium,  
mandi

mancipium, penus, supellex, quarum rerum finitiones ex Pandectis depro-  
mi possunt. Nō esse dicuntur, quæ tan-  
gi demonstrariq; non possunt, cerni ta-  
men animo atque intelligi possunt, ut  
usucapio, tutela, gēs, agnatio. Ad hæc  
Cicero scribit esse aliquas finitiones  
partitionum, esse aliquas diuisionū. Fi-  
nitio partitionum est, quæ ex partibus  
seu membris rei cōstituitur, ut scriptū  
ius ciuile est, quod legibus, plebiscitis,  
senatusconsultis, principū placitis, ma-  
gistratum edictis, responsis prudentū  
constat, §. ius scriptum, insti. de iure na-  
tura., &c. Finitio diuisionis est, quæ ex  
specierum diuisione componitur, ut  
cum ita dicis: Non ciuile est quod aut  
scripto, aut non scripto constat, §. con-  
stat, insti. de iure natu. Sic pleriq; glos-  
sularij iuris ciuilis dicunt, illam finitio-  
nem tutelæ ex speciebus constari, dum  
ita tutela finitur, Tutela est potestas de-  
fendendi pupillum iure ciuili data ac  
permissa, §. est autem, insti. de tute. nā  
cum dicitur, potestas iure ciuili cōces-  
sa

fa, legittimam tutelam intelligi, ut quæ  
 ex lege xij. tabularum cōceditur agna-  
 tis, §. i. insti. de legit. agnat. tute. cum au-  
 tem dicitur, data, intelligi tutelam à præ-  
 tore concessam, de qua in insti. de Atti-  
 li. tuto. cū dicitur permissa, intelligi te-  
 stamentariam tutelam, an uero hæc si-  
 nitiō tutelæ in tantas angustias conie-  
 ctanda sit aliorum esto iudicium. Ab-  
 soluimus & genera & rationes finien-  
 di, atq; exemplis è iuris ciuilibus penua-  
 rio depromptis illustrauimus. Nunc  
 & diuidendi formulas subiungam, &  
 eas à iuriscōsultis quoq; & usurpatas,  
 et usurpari posse declarabo. Prima spe-  
 cies diuisionis est, qua uox aliqua una  
 in uaria significata diuiditur. Sic ius di-  
 uidit̃ in uaria significata, nam uno mo-  
 do ius significat id quod semper bonū  
 & æquum est, ut est ius naturale. Alte-  
 ro modo quod omnibus aut pluribus  
 in quaq; ciuitate utile est, ut ius ciuile,  
 ius honorarium seu prætorium, alia si-  
 gnificatione dicitur Ius locus, in quo  
 ius redditur. Vide l. pluribus modis, ff.

de

de iust. & iu. Sic & familia in sua signifi-  
 ficata diuiditur, quæ uide in l. pronun-  
 ciatio, ff. de uerborum & rerum signifi-  
 ca. & ibi Alciatum. Secunda diuisionis  
 species est, qua genus in species di-  
 uiditur, sic imperium in imperium mi-  
 xtum, & imperium merum diuiditur  
 l. 1. ff. de iurisdic. Sic ius in publicum  
 & priuatum diuiditur l. 1. §. huius stu-  
 dij, ff. de iusti. & iure, huius diuisionis  
 exēpla in iure ciuili sunt plurima, hoc  
 modo in hac diuisionis specie obseruā-  
 dum est, ne id quod secundum magis  
 & minus diuiditur, in species diuidi ar-  
 bitremur, nam magis & minus diuer-  
 sas species non constituunt, l. si. ff. de  
 fundo instructo, & l. si is cui, ff. quem-  
 admodum seruitus amit. Proinde Bar-  
 tholus à clarissimo iuriconsulto Vdal-  
 rico Zasio reprehenditur, quod dum  
 culpa in latam latiore & latissimam,  
 leuem & leuissimam diuiditur, eam in  
 species diuidi putarit, cum nemo non  
 intelligat culpam isto modo secundum  
 magis & minus diuidi, quæ ut iam di-  
 ctum

Cū est, species diuerfas nō faciunt. Tertia diuisionis species est, cū totū in partes diuidit, quæ uocat̃ tā à Cicerone, q̃ à Fab. Quintiliano partitio, ut cum ius priuatum diuidit̃ in naturale, gentiū, ciuile, §. huius studiū, insti. de iust. & iu. cuius diuisionis in iure ciuili exempla nō pauca extāt. Quarta diuisionis species enumeratio uocatur, & fit quādo subiectū in accidētia diuidit̃, ut cū dico Iustinianū imperatorē & in legib. constitutendis præstantē, & in reb. bellicis insignē fuisse, ut est uidere in præfatione institutionū iuris ciuilis. Explicauimus quoq; diuidēdi formulas, hac gratia, ut iuuenis iuris ciuilis studiosus, & illarum in iure ciuili rationem habeat: nam cū Boëtio autore in lib. de diuisione, scientia diuidēdi omnib. studiosis magnū fructū adferat, ut q̃ facit, ut res clare à nobis tractat̃ i queat, non dubiū est quin si iuuenis iuris ciuilis studiosus, diuisionū in iure ciuili respectū magnū habuerit, magnū quoq; ex illis fructum accepturus sit.



1106392

